TRACTATUS DE RHETORICA SACRA,

AD USUM
STUDENTIUM CANDIDATORUMQUE
CONCIONATORUM
ORDINIS F. F. MINORUM CAPUCINORUM
PROVINCIÆ SABAUDIÆ
Accommodatus

A Patre ANGELO-JOSEPHO à la-Bâtie,
In Cameriensi Conventu Sacræ Theologiæ Professore.

Attende tibi, & doctrinæ. I. ad Tim. 4. 16.



CAMBERII,
Apud M. F. GORRIN, Regis Monotypographum,
SUB VIRTUTIS VEXILLO.

Cum Superiorum Permissu. 1760.

STUDENTIBUS, CONCIONATORIBUSQUE CANDIDATIS.

NEMINEM vestrûm, nî fallor, latet, in novissimo de studiis ordinatè & fructuosè peragendis Decreto, à Reverendissimo Deffinitorio Generali an. 1757. emanato, Articulo 15°. statutum fuisse ut P.P. Lectores Theologiæ novum cursum incipientes, per biennium, dùm tractatus docent ibidem assignatos, theoricè & practicè tradant Rhetoricam, seù Eloquentiam Sacram Latinam. Non igitur tantummodò ut huic Decreto, in quantùm per temporis brevitatem licuit, morem gererem, sed ut simùl meum in hoc desiderium implerem, tractatum hunc suscepi vobis tradendum. Priùs siquidem statueram, Reverendissimi Deffinitorii Generalis mandatum præveniens, à primo studiorum nostrorum exordio, vestræ in abstrusis Philosophiæ, Theologiæque Quæstionibus perscrutandis, & evolvendis sèdulitati favere, necnon vestræ ad Sacrum Verbi Divini Ministerium aptitudini, ac propensioni, quam cùm advertissem in vobis talem esse ac tantam, ut parati esse mihi videremini ad Ecclesiæ utilitatem gloriamque omni ope atque operâ promovendam: quid non vicissim tentarem & ego zelum vestrum fovendi gratiâ? Utinàm qui eumdem nú-

per hâc in Provinciâ incæpit studiorum, cujus plùs quàm mediam partem absolvimus, cursum, priùs à nobis concupitum tractatum suscepisset componendum! Ex optimi enim Concionatoris nomine quo gaudet, non sine causâ colligimus, ab ipso vota nostra circà modum rectè fructuosèque concionandi, perfectè completa fuisse futura. Cùm autem laboribus illius tempore congruo nos frui non posse prævidissem, necessitate compulsus & coactus, tractatui isti operam navare statui, quem si ipsius Discipuli perlegere non dedignabuntur, fortè de temporis jacturâ non conquerentur; hunc enim editurus in lucem, multò plura ex peritorum in arte concionatoriâ labore, quàm de meo scripsisse me non diffiteor.

Cum enim nec mihi satis arriderent annotationes circà modum conciones fabricandi in Bibliothecæ Libris quibus utor inventæ, eò quòd genericè tantùm, (de quibus aliundè non reperiuntur qui latino idiomate scripserint,) monita regulasvè tradiderint, nec ullum invenerim, qui sat sigillatim tradiderit, ideò ut quæ deerant, supplerem, Amicum consului, (a) in viâ perfectionis religiosæ consummatum, in Italicâ Linguâ versatissimum, Doctrinâ, dicendique facundiâ spectatissimum, nùnc in istâ Camberii Civitate Novitiorum sui Ordinis Magistri, simùl & Theologiæ Lectoris officio, publico cùm plausu fungentem, qui votis meis annuens, plura mihi indicavit, communicavitque à Scriptore Italico, (b) typis mandata. Quamvis autem in

(a) P. Antonius-Bonaventura Presbitero à Vercellis, Ordinis Minorum Conventualium.

(b) P. Joannes-Baptista Noghera Soc. Jesu in opere, cui titulus: *Eloquenza Sacra.*

multis discrepet modus concionandi Italicus à Gallico, non modicum tamen ex Scriptore illo facundissimo commodum me percepisse fateor.

Ut autem ex tractatu isto non minorum & vos percipere queâtis utilitatem, recolite, charissimi Candidati, toties repetita; Dialecticæ imprimis & Metaphisicæ nusquàm obliviscentes. De modo rectè judicandi, ratiocinandique super omnia satagite, ex cujus quidem penuriâ tot inepti reperiuntur Concionatores. Locos oratorios præ oculis semper habete, quos si rectè perceperitis, non modicam vobis profectò afferent utilitatem; imaginativam siquidem in vobis, (proùt suo loco fusiùs patebit,) mirum in modum movebunt, excitabuntque potentiam; intellectivamque determinantes judicium vestrum in concionibus fabricandis dirigent. Dixi autem si hos rectè perceperitis, & juxta cujusque verum sensum, alioquin noxius vobis horum usus profectò erit. Si nempè ab eorum singulis veluti ostiatim probationum emendicaveritis argumenta, non nisi irridendas, ineptasque ab Oratorum stylo prorsùs alienas componetis conciones.

Omni itaque ope atque operâ contendite, ut Eloquentiæ Sacræ finem consequamini, scilicet ut per conciones vestras, & evictos se fateantur Auditores, & ad fugiendum vitium, colemdamque virtutem efficaciter determinatos.

Memineritis tamen non publicos Auditorum plausus, nec concionum fructus à Deo in vobis esse coronandos, sed conatus, & labores: Non præclaras animi dotes aut vires, sed zeli puritatem, & de viribus, animique dotibus diffidentiam. Nolite curare ut ab Auditoribus dicatur vos optimè concio-

nari, ſed exemplo omnibus prælucere, qui enim laudes Auditorum venatur, jam mercedem recepit. Quid lacrymis autem dignius, quàm Concionatores vidêre de aliorum vitiis extirpandis ſollicitos, de propriis verò non curantes; circa aliena mala, quæ curare nequeunt diſertiſſimos, circa verò ea, quæ propriâ poſſent pœnitentiâ ſanare, mutos omninò & èlingues; qui vanitatem ſectantes increpant, dùm vanitatem ipſimet ſectantur! Non propriam gloriam, ſed Auditorum quærite ſalutem: Non terreſtrem mercedem, ſed animarum à Dæmonis tyrannide liberationem. Si vos fortè laudes comitentur & plauſus, hos fugite, Orationis, humilitatisque clypeum induentes: eò magis virtutem Omnipotentis admirantes ſalutem operantis, quò infirmiori eam operabitur inſtrumento: quid enim ad humilitatem ingerendam aptius, quàm ſi advertatis vos ad virtutes alios hortari, quas fortè aut nullatenùs, aut leviter ipſimet colitis; humerisque aliorum vos onera imponere, quæ fortè ipſimet digito non movetis? Sed & væ vobis! Si ibi frequentiùs, & absque verâ neceſſitate converſationem habere vos delectet, ubi concionum veſtrarum famam audieritis perſonantem: quis enim ità certiores vos fecit, ut non timeatis ne, cum aliis prædicaveritis, ipſimet reprobi efficiamini? Si autem de concionandi arte libentiùs, frequentiùsque locuti fueritis, in quâ cæteros antecellere vobis fortè datum erit, nonne laudes emendicatis? Quid mirum, ſi non vobis erogatas ab alieno, mox proprio ore non vos pudeat retexere.

Si quid autem à me aut prætermiſſum fuiſſe judicaveritis, aut non ſatis ſigillatim explicatum in trac-

tatu iſto veluti per modum compendii à me vobis tradito, R. P. Gilbertum è Socitate Jeſu, necnon & R. P. Albertum-Felicem Capucinum, qui nomen ſuum non verò labores ſuos latere voluit in libro de vero modo Evangelicas conciones habendi; aliosque fortè his præſtantiores, mihique incognitos, conſulite.

Nec à quo prodierit Tractatus iſte, attendas, Lector amice, nec quæras an ſit ipſimet optimus, numerisque omnibus abſolutus Concionator: tanta ſiquidem eſt Eloquentiæ magnitudo, ut tota in unico Concionatore inveniri non poſſit: nec ullas hùc usque arbitror in lucem prodituras fuiſſe de Rhetoricâ regulas, ſi à nullo niſi perfecto Oratore forent tradendæ: cùm ipſemet Orator Romanus, Oratorumque Princeps pluries in ſcriptis ſuis fateatur, ſe plurimas, quas ipſemet non ſervavit, aliis tradidiſſe regulas. Non Oratorem me igitur profiteri, ſed Rhetoricam quâ mediante Orator fieri poſſis, tradere tibi volui. Si quis autem temeritatis me voluerit arguere, eò quòd, quas ſtudentibus tradendas ſuscepi regulas, typis mandaverim; advertat, quæſo, quisquis ille ſit, etſi ſufficiens, non ſupervacuum tamen, præ Tractatuum à nobis perſolvendorum multitudine, nobis aſſignatum fuiſſe pro ſtudiorum curriculo temporis ſpatium. Hoc igitur cautè uti tantummodò volui, ſimulque ab onere Tractatum iſtum ſcribendi liberare eos, ut ad alia neceſſarium tempus impenderent. Utinam hâc in arte peritioribus, opus à me delineatum perficiendi anſa indè præbeatur.

RHETORICÆ SACRÆ
PRÆLUDIUM.

DE RHETORICA SACRA *dicturus, Tractatum aptiùs ordiri me non posse ratus sum, quàm à totius operis definitione, vel potiùs descriptione; hanc igitur dico „ Artem, seu disciplinam esse, quæ Rhe- „ toricam, Philosophiam & Theologiam callentibus, „ monita & regulas tradit ad varias Concionum species „ ab Oratoribus Sacris fieri solitas, rectè & fructuosè „ componendas & pronunciandas. “*

Ex hâc descriptione infertur primò necessarinm esse Concionatori Sacro, ut jàm Rhetoricæ non Sacræ, Philosophiæ, Theologiæque studuerit; Theologiæ quidem, ut nihil prædicet contra fidem aut mores; Philosophiæ, ut cum præcisione veritates proponat & probet absque coincidentiâ & confusione; Rhetoricæ tandem, ut rectè, copiosè ornatèque de omnibus dicere possit ad persuadendum. De Theologiâ tamen, & Philosophiâ hìc nihil dicturus, prætermittenda non judicavi, quæ scitu necessaria sunt Concionatori circa Rhetoricam non Sacram, 1°. nempè circa Locos Oratorios, in quibus latent, & ex quibus dèpromenda sunt plurima argumenta, seu probabilia inventa ad faciendam fidem. 2°. Circa figuras tùm ad docendum, tùm ad movendum idoneas, quibus ornantur & argumenta inventa, & ipsamet Concio. Quia tamen Rhetorica nostra Sacra aliam supponit, inter Quæstiones Proœmiales adnumerabitur quidquid de Locis Oratoriis, figurisque dicemus: undàque cùm non nullis circà Concionatores, Auditoresque, ac Eloquentiam ipsammet quæstiunculis, primum Tractatûs istius librum constituent.

INFERTUR 2°. *Materiam hujus Rhetoricæ nihil aliud esse præter monita, & regulas quarum aliæ omnes cujuscumque generis & speciei conciones respiciunt in ordine ad illuminationem intellectûs, & ex his constabit Liber secundus: aliæ verò spectant ad species diversas concionum, in ordine pariter ad illuminationem intellectûs, & per illas constituetur Liber tertius. Ne autem plùs æquo augeatur Liber iste, quartum addo de concionibus exornativis.*

INFERTUR 3°. *Finem primarium & proximum Rhetoricæ nostræ esse compositionem concionum sacrarum: Finem verò secundarium & remotum, salutem animarum per conciones sacras procurandam. Cùm autem salvari per conciones non possint animæ, nisi quatenùs per illas docentur scitu necessaria ad salutem, & efficaciter ad declinandum à malo, & ad faciendum bonum moventur: Ideò sicut in 2°. 3°. & 4°. Libro traduntur Regulæ, & monita circà media ad illuminandum Auditorum intellectum necessaria, ità in Libro 5°. pandentur regulæ & monita circà media ad movendam voluntatem necessaria.*

INFERTUR 4°. *Conciones sacras componendas esse, ut habeantur, seù pronuncientur coràm Auditoribus, (non ut ipsis legendæ tradantur, quod fit tantùm per accidens,) modo apto ad eorum voluntatem movendam. Cùm autem sivè rectas fructuosasque conciones componere, sivè eas fructuosè pronunciare discere soleant Concionatores Candidati ex lectione & auditione concionum alienarum, quas conantur imitari; ideò sextus additur Liber de fructuosâ concionis sacræ pronunciatione, & septimus denique de imitatione.*

EX *quibus profectò patet Tractatum istum de Rhetoricâ sacrâ in septem Libros dividendi necessitas & ratio: singuli autem Libri in Sectiones, vel Capita, vel*

Articulos aut Paragraphos, prout materiæ poſtulaverit neceſſitas, ſubdividentur. Veſtrûm erit, Concionatores Candidati, ex ſingulis Quæſtionibus, Concluſionibusque à nobis traditis eruere obvias, aut modo Oratorio propoſitas difficultates, aut ex antecedentibus & conſequentibus deducendas, quas modo ſcholaſtico, & dialecticè mihi objectas ab uno quoque veſtrûm, & ſolvam, & ſolvandas docere pro viribus, Deo dante, conabor.

DE ELOQUENTIA SACRA LIBER PRIMUS.

QUÆSTIONES PROŒMIALES.

A THEOLOGIS, non fecùs ac Philofophis præmitti folent Quæftiones quædam procœmiales, ut fuos fcilicet Alumnos priùs doceant quid fcire opus fit in genere de fcientiâ, ad quam anhelant, quàm ad particulares ejus Quæftiones enucleandas properent. Quidni & ego pari methodo utar, Rhetoricæ Sacræ Leges & Documenta iis traditurus, qui, non alium ob finem Chriftianæ Philofophiæ, Sacræque Theologiæ ftuduere, nifi ut Ecclefiæ Chrifti concionibus prodeffe poffent? Quibus non minùs hodiè quàm primis filiis fuis olim loquitur Pater Seraphicus dicens: „ Parati eftote ad iter agendum, „ & juxtà Chrifti Præceptum, lumbos veftros præcingite; „ viri eftote; induamini armis Fidei; Evangelicæ Prædi- „ cationi confecrate vos & devovete, exhibentes vos „ tanquam nubes, ad Divini Eloquii Sacros imbres, fu- „ per arentia induratorum peccatorum corda, ubicumque „ fpiritu obedientiæ rapiemini effundendos. Non enim „ vos vocavit Dominus poft fe, ut hîc in finu Patriæ, „ Parentumque veftrorum, abfque labore, veftram tantùm „ falutem pacificè operemini; fed ut pifcatores hominum „ fitis; nomenque fuum portetis coràm Gentibus & Re- „ gibus terræ. “

Rhetoricæ locos communes, figurasque, imò Philofophiam Theologiamque, fine quibus nemo tutè concionari

poteſt; callentibus utique hîc loquor, ſed & concionis conficiendæ methodum practicam deſiderantibus: Non mirentur igitur, ſi inter Quæſtiones Procemiales huic de Rhetoricâ Sacrâ tractatui præmiſſas, non tantùm 1°. de Concionatoribus & Eloquentiâ; 2°. de Auditoribus; ſed etiam 3°. de locis, & 4°. de figuris, nonnullas Quæſtiones invenerint; cùm enim de modo fructuosè concionandi ex profeſſo ſimus dicturi in tractatu ſuſcepto, concongruum, nec ſine causâ nobis viſum eſt, de iis omnibus quædam priùs genericè quærere & explicare, quæ ad majorem poſteà dicendorum intelligentiam neceſſaria eſſe, cuilibet attendenti patebit. Sit igitur

QUÆSTIO PRIMA.

QUID de Concionatorum viciſſitudinibus, & Eloquentiæ exitu dicendum?

Concionatorum viciſſitudines.

VARIÆ adeò ſunt Sacrorum Oratorum ſortes, ut ſæpè numero in his, gaudii & fiduciæ: in illis, depreſſionis & laboris: in multis, incertitudinis & erroris: in omnibus univerſaliter, ſtuporis, cenſuræ & pugnantium opinionum materiam miniſtrent. Non raro enim accidit, quod iis, qui pluris æſtimantur, contra ſpem; iis verò, qui minoris, juxtà ſpem negotium cedat. Qui hâc in urbe primas colligit palmas, in aliâ cedere eas æmulo debet. Interdùm ſi hic eodem in loco frequentiſſimos habeat Auditores: ille hunc majore præcedit exiſtimatione. Placet unus doctis, nobilibus alter, alter verò plebi; nec quisnam cæteris præſtet ab audientibus pariter judicatur. In facundiæ oſtentationem ſermo Dei ſi vertatur, cenſoriâ illum virgâ notandi jus habere quisque præſumit, nec alius indè fructus percipitur, præter liberam, circà illum, propriæ ſententiæ prolationem. Non incurioſa itaque res eſt, quot qualesque rationes exquirant ſinguli, ad propriam tuendam ſententiam, quæ, aut vitii alicujus Oratorem arguit, aut inconſiderationis & inſcitiæ turbam accuſat, aut extrinſecis præjudiciorum, commendationumque, ac factionum cauſis exitum adſcribit, aut etiam, (nec paucorum eſt hæc ſententia,) prædicationis viciſſitudines caſui attribuit; non ſecùs ac, qui fortuito ludo res ſuas committit.

Ast numquid tantæ viciſſitudinis in Eloquentiâ ignota ſemper cauſa erit? Ut verum fatear, minimè mihi videtur. Licèt aliqua interdùm fortuita & extrinſeca cauſa, in prædicationis exitum influere poſſit, non ſecùs ac in arte bellandi, accidit, in quâ, eſto duci favere aliquandò caſus poſſit, illius tamen prudentiæ attribuitur ſemper exitus, ac virtuti: quantò magis in Eloquentiâ, (quæ in humanæ mentis, cordisque bonum fertur,) id dicentis dotibus attribui debet? Talium igitur viciſſitudinum, nativam originem detegere pro viribus conabor. Quod quidem ſi præſtitero, tutam adoleſcentibus, omnis Eloquentiæ avidis viam aperiam, quam ſequi debent; ſimùlque illorum ſaltèm aliqualiter prurigo obtundetur, qui de re ſibi non notâ, cenſoriam proferre ſententiam audent: quamobrem non nulla principii loco præmitto, à quibus tanquàm à fonte rivuli, quæ exponere intendo, derivabuntur. Undè ſequitur

Exitus Eloquentiæ non eſt fortuitus.

QUÆSTIO II.

QUID de Auditoribus?

A TRIPLICI Auditorum ſpecie, excipi ſolent Oratoris Chriſtiani ſermones. 1°. A doctis, de illis autem non loquor, qui in cæteris omnibus, præterquàm in arte oratoriâ, periti ſunt; ſed qui iſtius nervos, naturamque poſſidentes, juxtà hujus præcepta, ac leges, non puerilia, ſed ſatis ponderata judicia ferunt. 2°. A populo, ab iis ſcilicet, qui non juxtà benè dicendi regulas; ſed juxtà naturalis dictamen luminis, cordisque & animi ſui motum, de Oratorum operibus judicare ſolent. 3°. A ſciolis, quorum ſcilicet quantò major eſt ingenii tenuitas in oratoriâ arte: tantò eſt elegantium verborum, inventionumque libido inſatiabilior, quæ non gravem Eloquentiam quærit, ſed inanem magniloquentiam illam, quæ quà à pluribus, aurium pruritu abreptis, itur, non quà eundum eſſet, aſſeclas ſuos impellit.

Ex ſuprà dictis Auditoribus, quorumnam benevolentiam, amoremque ſibi debeat Orator conciliare, lætum miniſterii ſui exitum quærens, à me ſi quis petat, non paucos audio, qui inflato ſplene conclamant, Doctorum in arte oratoriâ quæremdam eſſe benevolentiam; at rem

Quorumnam quærenda ſit aprobatio.

postulant difficilem. Præterquàm quòd talis meriti non passim viri occurrunt; rarus horum est in judicando consensus: maximè si ex illis sint, qui ideas suas peculiares, etsi non omninò rectas, omnibus arridere præsumunt: undè nec certus semper orationis exitus esset, nec Oratorem solaretur Auditorum grex exiguus.

Majorem esse scio sciolorum numerum, quàm Doctorum; qui autem horum voluerit approbatione gloriari Orator, & spirituali animarum utilitati, (quæ Christianæ tamen scopus est Eloquentiæ,) vale dicat necesse est, & inani verbositate suffectâ, solidæ ac sinceræ elocutionis patiatur detrimentum: quarè non pro ipsis laborare Orator debet.

Populi quærenda est approbatio.

Quærendam igitur esse à concionante populi approbationem dico, utpotè numerosioris; præter vulgum enim, sexumque fœmineum, viros complectitur cujuslibet Ordinis, meriti ac conditionis; quorum quidem mentes, esto artis peritiâ non polleant, ineptis tamen præjudiciis præventæ non sunt, sed rectæ discretionis subsidio munitæ: imò eorum qui de populo non sunt approbationem secum non rarò trahit populus.

Modus illam quærendi.

Cùm autem, per concionem populi conciliandam esse approbationem dico, non eam intelligi vellem, quæ populum aut ad risum movet, aut poëticis, ac phantasticis pascit inventis, aut satyris, odiosisque delectat. Sic enim Oratoris Sacri munus, in circulatoris artem, impiè turpiterque mutaretur, sermoque divinus non solùm alienis, sed etiam incongruis indueretur vestibus, quod utique in Oratore Sacro non minimam argueret imprudentiam.

Temperamentum circa species Auditorum.

Non ità tamen populi sibi benevolentiam, approbationemque, conciliare debet Orator, ut de cæterorum benevolentiâ Auditorum nullatenùs curet; sed ità populo placere, ut & Doctorum simùl virgam præ oculis habeat, & populi benevolentiam decenter quærat, & sciolis in iis indulgeat, quæ, salvâ Sacræ Eloquentiæ puritate, & nulli molestiam, & sibi nullam afferunt servitutem.

Quid sit Eloquentia popularis?

At quænam igitur est? Inquiet aliquis, & in quonam consistit Eloquentia, quæ populo placet, prædicationisque fructum apta est afferre? Cui respondeo: in hoc sitam esse, ut sit absque affectatione compta; absque

subtilitate penetrans; absque tumore magnifica; recens sine novitate; simplexque absque reptatu. Hanc comitetur in observationibus rationibusque soliditas, ac veracitas: in elocutione vivacitas & agilitas: simplicitas varietasque in figuris: sagacitas & discretio, in morum informatione: gratia ac vehementia in affectibus: ità tamen ut absint languor, confusio & obscuritas. Huic inutilis, imò & perniciosa est subtilitas sublimitasque, quarum splendore populi captus mentis superatur, & Academicis ideò est cœtibus reservanda. A sensibilibus itaque non recedat Orator: quibus si usus fuerit, hæc si explicuerit, si adhibuerit, & impresserit, populum profectò movebit; huicque & delectationem afferet & utilitatem, qui metaphisicis speculationibus cum non sit assuetus, Aquilarum sequi volatum nequaquàm potest. Cùm autem parùm sit, nosse cuinam potissimùm Eloquentiæ adhærere debeat Concionator, sed etiam undènam possit Eloquentiæ argumenta haurire; postulat ordo, ut statim hîc jungatur.

QUÆSTIO III.

QUID Concionatorem non latere oportet circà Locos Rhetoricæ Sacræ?

ORATORIOS, seù Rhetoricæ Locos, nemo nescit esse generales quosdam fontes ex quibus hauriuntur media, ad sermonis suscepti argumentum probandum, vel potiùs quædam sunt capita generica, ad quæ reduci possunt variæ probationes, quæ in quibusvis concionibus fabricandis adhibentur. Alii sunt intrinseci, qui scilicèt ex ipsismet rerum, de quibus dicit Orator, visceribus depromuntur; quæ licèt vulgò sexdecim numerentur à Rhetoricæ Professoribus, à nobis tamen ad senarium numerum non incongruè reducuntur. Alii verò sunt extrinseci, qui nempè extrà rem probandam assumuntur; & totidem numero sunt. De utrâque hâc specie duobus Articulis dicendum; sit itaque.

ARTICULUS PRIMUS.

De Locis intrinsecis.

LOCOS oratorios intrinſecos dicimus genericos quosdam terminos entibus omnibus convenientes, & ex quibus variæ probationnm, argumentorumque ſpecies à Concionatoribus depromi ſolent. Sunt autem 1. definitio ſubjecti, ſeù materiæ, de quâ dicit Concionator; 2. cauſæ ejus; 3. effectus; 4. circumſtantiæ; 5. diviſio, ſeù diſtributio in ſuas partes, & 6. comparatio, ſeù relatio, vel oppoſitio, quam habet cum aliis. Quilibet enim Concionator, ſi materiam concionis, quam aggreditur, fructuosè voluerit enucleare, ſivè de virtute dicturus ſit, ſivè de vitio: hujus debet explicare naturam, & ecce definitio: undè ortum habeat, & quem finem, & ecce cauſæ: quæ ex illâ prodeant, & ecce effectus: quid ipſam vel præcedat, vel comitetur, vel ſequatur, & ecce circumſtantiæ: quænam illius ſint partes, & ecce diviſio: in quo conveniat, aut diſcrepet ab aliis, & ecce comparatio: de his itaque nobis eſt per ſingula perſtringendum.

§. I.

Quid ſit Locus à Definitione?

VITANDÆ gratiâ confuſionis, quæ ex variis ideis plerumque in mentibus noſtris oriuntur, non raró neceſſitas incumbit Oratori concionis ſusceptæ argumentum definiendi, ejusque claram, diſtinctamque Auditoribus notitiam exhibendi. Definitionis autem duplex vulgò ſpecies diſtinguitur, quarum priorem accuratam nuncupant; quià rei naturam, per attributa ejus eſſentialia pandit, genereque tantùm modò ac differentiâ conſtat. Et hæc ſolis Philoſophis propria eſt. Oratoribus verò magis placet definitionis altera ſpecies, quæ minùs accurata dicitur, ſcilicet descriptio, quâ res exhibetur cognoscenda, per accidentia ipſi propria, per cauſas ejus & effectus, aliave adjuncta, quibus & in ſe dignoscitur, & ab aliis diſtincta exhibetur. Utantur igitur Philoſophi

Philoſophi accuratis ſtrictisque definitionibus : Concionatoribus autem rerum naturam fuſiori , jucundiorique modo explicantibus, magis arrident descriptiones, quibus præclaram quamdam ineſſe ſublimitatem, nemo nescit. His uſus eſt Doctor Gentium, Corinthiis charitatem exhibens cæteris omnibus anteponendam. „ Charitas, inquit,
„ patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, non
„ agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non
„ quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum,
„ non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati.
„ Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia
„ ſuſtinet. “

Audiamus Tertulianum, pœnitentiam egregiè definientem ab effectibus. „ Exhomologeſis proſternendi
„ & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem
„ injungens miſericordiæ illicem: de ipſo quoque habitu
„ atque victu mandat, ſacco & cineri incubare, corpus
„ ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa
„ quæ peccavit triſti tractatione mutare: paſtum & potum
„ pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animæ causâ:
„ plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrimari & mugire dies noctesque ad Dominum Deum
„ tuum, Presbiteris advolvi, & aris Dei adgeniculari
„ omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injun-
„ gere. “ Lib. de Pœnit.

§. 2.

QUID ſit Locus à Cauſis?

EXHIBITA Auditoribus ſuis, argumenti magnitudine, congruum eſt ut hujus cauſas detegat Concionator. Quadruplicem fateor à Philoſophis cauſam diſtingui: efficientem nimirùm & finalem, materialem & formalem. Cauſam materialem eam dicunt, ex quâ aliquid fit ſeù conſtituitur: formalem verò per quam res in ſe una, diſtinguitur ab aliis. Sed his non immoramur, eo quòd parùm proſunt in concionibus fabricandis. Secùs eſt de cauſis efficienti & finali: eximias enim, firmiſſimasque ex illis probationes depromit Rhetorica Sacra. Cauſam autem efficientem eam nuncupamus, quæ vel phiſicè, vel moraliter ſuum producit effectum; finalis verò cauſa, Cauſa finalis.

eſt finis propter quem quis agit. Hoc loco diſertè utuntur Oratores Sacri, ad probandum injuſtum ſimul & infauſtum in iniquitatibus ſuis, à peccatoribus intentum finem: ſic Salomon ſtulta ſimul & iniqua enumerat
Sap. 2. motiva, propter quæ voluptatibus ſerviunt impii. „ Di-
„ xerunt, inquit, cogitantes apud ſe non rectè: quia
„ ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non
„ fuerimus: quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris:
„ & ſermo ſcintilla ad commovendum cor noſtrum, quâ
„ extinctâ cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffun-
„ detur tanquàm mollis aër, & tranſibit vita noſtra tan-
„ quàm veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſolvetur quæ
„ fugata eſt à radiis ſolis, & à calore illius aggravata.
„ Et nomen noſtrum oblivionem accipiet per tempus,
„ & nemo memoriam habebit operum noſtrorum. Um-
„ bræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt re-
„ verſio finis noſtri: quoniam conſignata eſt & nemo
„ revertitur. Venite ergò, & fruamur bonis quæ ſunt,
„ & utamur creaturâ tanquàm in juventute celeriter:
„ vino pretioſo & unguentis nos inpleamus, & non præ-
„ tereat nos flos temporis: coronemus nos roſis ante-
„ quàm marceſcant, nullum pratum ſit quod non per-
„ tranſeat luxuria noſtra: nemo noſtrûm exors ſit luxuriæ
„ noſtræ: ubique relinquamus ſigna lætitiæ; quoniam
„ hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.

Lib. de Nabuthe. C. 8. Nec prætermittamus D. Ambroſium qui avarum admonens ne vanâ ſpe fallatur, ait: „ Aſſiſtunt jam qui
„ repoſcunt animam tuam, & tu adhuc differs operum
„ fructus tuorum, adhuc tu tibi tempora vivendi longa
„ meditaris: ſtulte, hâc nocte anima tua, avare, repoſ-
„ citur..... Quid quotidiè metiris & numeras & obſig-
„ nas? Quid aurum trutinas, argentum ponderas? Quantò
„ meliùs eſt liberalem eſſe diſpenſantorem, quàm ſolli-
„ citum cuſtodem? Quantùm tibi prodeſſet ad gratiam,
„ multorum pupillorum patrem nominari, quàm innume-
„ ras ſtatèras in ſacculo obſignatas habere? “

Cauſa efficiens. Nec pauciores ex causâ efficienti probationes depromunt Oratores Sacri. Sive enim de vitio ſive de virtute aliquâ concionem ſuſcipiant, hujus ſolent cauſam efficientem, ſeù originem inquirere. Ex causâ pariter

eruuntur argumenta, dùm detractionem V. G. probatur oriri ex invidiâ & superbiâ: undè & abhorrendum esse infertur, à causis hisce teterrimis.

§. 3.

Quid Locus ab Effectibus?

NON minorem profectò probationum numerum subministrant effectus rei, quorum propterea supervacaneum judicavi exempla hîc recensere. Quidquid enim sit id, de quo concionari volueris, hujus profectò sunt, aut boni, & utiles effectus; aut mali & noxii: quos haud difficilè poteris eleganti ornatâque concione, aut exquirendos populis exhibere, aut fugiendos demonstrare.

§. 4.

Quid sit Locus à Circumstantiis?

PLURIMA constat esse media ad suadendum vel dissuadendum ex circumstantiis desumpta, nec exiguam ex illis oriri concionis sublimitatem ac venustatem. Cùm enim nihil naturaliter in orbe terrarum contingat, quod quasdam sibi adjunctas non habeat circumstantias, medium profectò infallibile ad fructuosas ex harum prudenti, & congruâ collectione & unione, conciones componendas suppeditant. Petuntur autem circumstantiæ tùm à rebus, seù factis; tùm ab ipsismet personis. Ad res quidem spectant locus, tempus, consilia, media & modus. Ad personas verò pertinent nomen, ætas, indoles, fortuna, passiones, ingenium, aliæque tùm bonæ qualitates, tùm malæ. Sic ingrati animi vitium peccatoris egregiè describit Regius Psaltes, per circumstantias ad personam spectantes, dicens: „ Si inimicus „ meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: & si is „ qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abs„ condissem me forsitan ab eo. Tu verò homo unani„ mis, Dux meus: qui simùl mecùm dulces capiebas „ cibos: in Domo Dei ambulavimus cùm consensu. “ Psalm. 54.

Sed & Tertullianum libet audire probantem, periculosas esse comœdias, propter circumstantias quibus plerùmque peccaminosæ efficiuntur: „ An ille, inquit,

„ recogitabit eo tempore de Deo, positus illìc ubi „ nihil est de Deo? Pacem, opinor, habebit in animo „ contendens pro aurigâ. Pudicitiam édiscet, attonitus „ in mimos. Imò in omni spectaculo nullum majus scan- „ dalum occurret, quàm ipse mulierum & virorum „ accuratior cultus, ipsa consensio, ipsa in favoribus „ aut conspiratio, aut dissensio inter se de commercio „ scintillas libidinum conflabellant. Nemo denique in „ spectaculo ineundo priùs cogitat, nisi videri & videre. "

§. 5.

Locus à Divisione.

Ex Divisione totius in suas partes, multæ pariter oriuntur ideæ, probationesque depromuntur non paucæ; cùm autem hæc propriè sit partium enumeratio, de hâc dicemus, ubi de figuris dictionis.

§. 6.

Quid sit Locus à Comparatione?

Eloquentiæ decori non parùm confert comparatio: hanc tamen adverte paulò periculosam esse in Linguâ nostrâ Gallicâ, cui non nisi selectissimæ, sensuque præclarissimo præditæ arrident comparationes: plurimas autem sacra pagina refert à Concionatore utique non prætermittendas. Sic veros Discipulos suos comparat Salvator Cœli volucribus, qui neque seminant, neque metunt, nec congregant in horrea: sed à divinâ Providentiâ pascuntur: ita S. Ambrosius de ebrietate loquens, ait: „ Habet enim hoc temulentia, ut & „ molliat, & resolvat corda temulentorum. Sicut enim „ ignis probat ferrum durum, ita & vini incendio etiam „ superborum hominum cor liquescit. "

Lib. de Heliâ & Jejun. C. 12.

Non inter similia autem tantummodò, sed & inter dissimilia fieri solet comparatio. Præclaram juvat hîc afferre inter dissimilia Tertuliani comparationem; Christianorum videlicet virtutes & Paganorum Philosophorum. „ Si de pudicitiâ provocemur.... Democritus excæ- „ cando semetipsum, quòd mulieres sine concupiscentiâ „ aspicere non posset, & dolêret, si non esset potitus, „ incontinentiam emendatione profitetur. At Christia- „ nus salvis oculis fœminam videt, animo adversùs libi-

„ dinem cæcus eſt. Si de probitate deffendam, ecce
„ lutulentis pedibus Diogenes ſuperbos Platonis toros
„ aliâ ſuperbiâ deculcat. Chriſtianus nec in pauperem
„ ſuperbit. Si de modeſtiâ certem, ecce Pythagoras
„ apud Thurios - Zenon apud Priennenſes tyrannidem
„ affectant. Chriſtianus verò nec ædilitatem. Si de fide
„ comparem, Anaxagoras depoſitum Hoſtibus denega-
„ vit : Chriſtianus etiam extrà fidelis vocatur. Si de
„ ſimplicitate conſiſtam, Ariſtoteles familiarem ſuum
„ Hermiam turpiter loco excedere fecit. Chriſtianus nec
„ inimicum ſuum lædit. "

§. 7.

Quid de Locorum Rhetoricæ Sacræ intrinſecorum uſu & utilitate?

ESTO verum eſſet, ut contendunt nonnulli Locorum Oratoriorum auxilio non indigere Oratores & Concionatores conſummatos, at ſecùs eſſe conſtat de junioribus; dificiente enim tali auxilio, aut ineptè, aut imò nihil probabunt in concionibus; experientiâ ſiquidem didicere, per hujusmodi Locos Oratorios excitari phantaſiam, & deteminari intellectum fluctuantem in conceptibus. Et ex ſupràdictâ illorum explicatione, intellectu facile eſt, an quidquam in illis reperiatur, ex quo intellectus vitiari, ſterilibus, fluctuantibus, inanibusque repleri poſſit ideis: ſupponantur enim verò duo Concionatores, quorum alter calleat, alter verò contemnat hujusmodi Locos, qui brevi concionem teneantur conficere, V. G. de detractione; prior utique ſtatim inveniet rectæ concionis diviſionem à Locis Oratoriis depromptam, 1°. Definitionem V. G. & naturam detractionis: 2°. Ejus cauſas, ſcilicet ſuperbiam, invidiam, odium, vindictam, cupiditatem, &c. 3°. Ejus effectus, ruïnam nempe ſimultaneam Detractorum, Auditorum, & eorum quibus detrahitur: 4°. Ejus circumſtantias, nempe geſtus, modos, Auditorum numerum, eorum quibus detrahitur qualitates, &c. 5°. Ejus partes, diverſas dico detractionis ſpecies, nempe detractiones crudeles, ironicas, hypocritas, mutas, per geſtus, &c. 6°. Ejus comparationem V. G. cùm ſerpentis venéno, quod titillando immittitur

in aures: 7°. Ejus oppositionem cùm Charitate Divinâ &c. Ex quibus profectò cùm præclaram depromat & prolixam dicendi materiam, mox absolvetur concio ejus: ubi vix alter exordium compleverit, nullâ rectâ, ordinatâque concionis inventâ divisione.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quid de Locis Rhetoricæ Sacræ extrinsecis?

LOCI Rhetoricæ Sacræ externi, communes quidam sunt genericique fontes, ex quibus ad sacras conciones, probationes, mediaque varia eruuntur. Sunt autem 1°. Verbum Dei scriptum. 2°. Traditiones. 3°. Concilia, 4°. Sancti Ecclesiæ Patres. 5°. Theologia. 6°. Meditatio & Oratio. Cùm autem de his omnibus, suo loco dicturi simus in toto hoc tractatu Rethoricæ Sacræ; superest ut ad quartam Quæstionem proæmialem properemus. Sit igitur.

QUÆSTIO IV.

Quid circa Rhetoricæ Sacræ Figuras scire debet Concionator?

CUM figurarum nomime nihil intelligatur, præter modos quosdam cogitata sua exprimendi, ex quibus audientis animus, ejusque & cor & passiones moveri solent & excitari: ideòque ad eam Rethoricæ nostræ partem spectent, in quâ de mediis ad excitandos cordis affectus, agitur: hîc nihil circà illa præmittendum judicavi, nisi cujuslibet ex illis definitionem, & exemplum. Quamvis autem harum à Rethoribus duplex genus distinguatur, quorum prius figuras verborum, posterius verò rerum complectitur: illis prætermissis, quæ Rethoricæ Sacræ aut parùm prosunt, aut non congruunt, de iis tantùm agemus quæ ad docendum, movendumque adhiberi à Sacris Oratoribus solent: sit igitur.

§. I.

QUOT sint Figuræ Rhetoricæ Sacræ ad docendum & suadendum idoneæ?

TREDECIM recensemus hujus generis figuras; quæ vel docent tantùm, vel docendo delectant, moventque Auditorum intellectum ad assentiendum veritatibus sibi à Concionatore Sacro propositis. sunt autem Allegoria, Communicatio, Concessio, Congeries, Descriptio, Distributio, Gradatio, Ironia, Occupatio, Periphrasis, Prosopopeïa, Repetitio, Subjectio. De quarum quâlibet, & quid sit, & quomodo ab Oratoribus Sacris adhibita sit ostendemus, servato ordine alphabetico.

Quæst. 1ª. *Quid & quomodo fit Allegoria?*

ALLEGORIA est continuata metaphora; metaphora autem est vocabuli, à propriâ significatione ad rem impropriam, per similitudinem migratio. Fit autem 1°. à Divinis vel Angelicis ad humana, & ab humanis ad Divina vel Angelica. 2°. A cœlestibus, vel supernaturalibus, ad terrestria, vel naturalia, aut corporea; & à terrestribus, vel naturalibus, aut corporeis, ad cœlestia, vel supernaturalia, aut spiritualia. 3°. A brutis ad homines, & ab hominibus ad bruta. 4°. Ab animatis ad inanimata, & ab inanimatis ad animata. Fit, inquam, in his omnibus, cùm quod uni convenit, in proprio & naturali sensu, de alio dicitur propter aliquam convenientiam, aut similitudinem; sic Christus Apostolos suos docet, quinam sint effectus & exitus prædicationis Verbi Divini, sub egregiâ Parabolâ: in quâ sunt exempla Metaphoræ Math. 13.
& Allegoriæ in continuatione Metaphoræ. „ Ecce,
„ ait, exiit qui seminat, seminare. Et dùm seminat,
„ quædam ceciderunt secùs viam, & venerunt volucres
„ Cœli, & comederunt ea. Alia autem ceciderunt in
„ petrosa, ubi non habebant terram multam, & continuò
„ exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ;
„ Sole autem orto æstuaverunt, & quia non habebant
„ radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in spinas:
„ & creverunt spinæ, & suffocaverunt ea. Alia autem

Ibid. „ ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud „ centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum. “ Hanc Allegoriam exponit ipsemet Salvator dicens: „ „ Omnis qui audit Verbum Dei, & non intelligit, venit „ malus, & rapit quod seminatum est in corde ejus: hic „ est qui secùs viam seminatus est. Qui autem super „ petrosa seminatus est, hic est, qui Verbum audit, & „ continuò cum gaudio accipit illud: non habet autem „ in se radicem, sed est temporalis. factâ autem tri„ bulatione, & persecutione propter Verbum, continuò „ scandalisatur. Qui autem seminatus est in spinis, hic „ est, qui Verbum audit & sollicitudo sæculi istius, & „ fallacia divitiarum suffocat Verbum, & sine fructu effici„ tur. Qui verò in terram bonam seminatus est, hic „ est, qui audit Verbum, & intelligit, & fructum affert, „ & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexa„ gesimum, aliud verò trigesimum.

Quæst. 2ª. *Quomodo fiat Communicatio?*

COMMUNICATIO fit cùm Concionator Auditores consulere videtur: ipsos familiariter alloquens, & eos, propositis rationibus, judices constituens, ita Deus Judæis exprobans ait: „ Popule meus, quid feci tibi, „ aut quid molestus fui tibi? Responde mihi! Quià duxi „ te de terrâ Egypti, & de domo servientium liberavi „ te: & misi antè faciem tuam Moïsen & Aaron & „ Mariam. &c. “

Mich. 6.

Quæst. 3ª. *Quomodo fiat Concessio?*

De habitu Virginum.

CONCESSIO fit cùm aliquid Auditoribus concedit Concionator, aut concedere videtur, ut deindè ex hoc ipso illos arguat, sic S. Cyprianus. „ Divites vos „ esse dicitis, divitiisque vestris utendum esse: his uti„ mini, esto, hoc vobis concedo; sed utimini ad Sa„ lutem; utimini ad opera bona: utimini ad Mandata Dei „ servanda; sentiat pauper & egenus vos divites esse. „ Mutuum date, vobis permitto, sed Deo Hæreditates „ comparate, sed æternas, quarum fructus permaneat „ in æternum. “

Quæst.

Quæst. 4ª. *Quomodo fiat Congeries?*

CONGERIES seu multiplicatio, fit cùm in unâ periodo congregat Concionator plures ideas, & ratiocinia stricta, quibus convicti rapiuntur Auditores. Ità Apostolus: „ Usque in hanc horam, & esurimus, & „ sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris. „ Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium „ peripsema usque adhuc. “ I. Cor. 4.

Et Tertullianus: „ Omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit. Malefici gestiunt latére, devitant „ apparere, trepidant deprehensi, negant accusati: ne „ torti quidem facilè, aut semper confitentur: condemnati mærent: dimumerant in semetipsis: mentis malæ „ impetûs, vel fato, vel astris imputant: nolunt enim „ suum esse, quia malum agnoscunt. Christianis verò „ quid simile? Neminem pudet, neminem pœnitet: si „ denotatur, gloriatur: si accusatur, non defendit: interrogatus, vel ultrò confitetur: damnatus, gratias „ agit. Quid hoc mali est, quod naturam mali non habet, „ timorem, pudorem, tergiversationem, pœnitentiam, „ deplorationem? Quid hoc mali est, cujus reus gaudet, cujus accusatio votum est, & pœna fœlicitas. “ In Apolog. C. 1.

Quæst. 5ª. *Quotuplex, & quid sit Descriptio?*

DESCRIPTIO alia est personarum, ália loci & temporis, alia gestorum & actionum. Personarum Descriptio fit cùm alicujus mores, vita, ingenium, vel indoles describuntur. Sic D. Bernardus egregiè detractorem describit dicens: „ Videas præmitti alta suspiria, „ sicque quâdam cum gravitate & tarditate, vultu „ mæsto, dimissis superciliis, & voce plangente egredi „ maledictionem, & quidem tantò persuasibiliorem, „ quantò creditur ab his, qui audiunt, corde invito, „ & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri. „ Doleo, inquit, vehementer, pro eò quòd eum diligo „ satis, & nunquam potui de hâc re corrigere eum. „ mihi quidem benè compertum fuerat de illo illud; „ sed per me nunquam innotuisset; at, quoniam per Serm. 24. in Cant.

„ alterum pôtèfacta est res, veritatem negare non possum:
„ dolens dico, reverà ità est. Et addit: grande dam-
„ num. Nam aliàs quidem in pluribus valet; cæterùm
„ in hâc parte, ut verum fatear, excusari minimè potest. "

Descriptionis loci, temporis, & personæ simul exemplum habes à S. Hieronimo: „ O quotiès ego ipse
„ in eremo constitutus, & in illâ vastâ solitudine, quæ
„ exusta Solis ardoribus, horridum Monachis præstat
„ habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis!
„ Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram; hor-
„ rebant sacco membra dessormia, & squallida cutis si-
„ tum Æthyopicæ carnis obduxerat. Quotidiè lacrymæ,
„ quotidiè gemitus, & si quando repugnantem somnus
„ imminens oppressisset, nudâ humo vix ossa hærentia
„ collidebam. De cibis verò & potu taceo, cùm etiam
„ languentes Monachi aquâ frigidâ utantur, & coctum
„ aliquid accepisse, luxuria sit.... Pallebant ora jeju-
„ niis, & mens desideriis æstuabat in frigido corpore,
„ & antè hominem suâ jam carne præmortuum, sola
„ libidinum incendia bulliebant. Itaquè omni auxilio
„ destitutus, ad Jesu jacebam pedes, rigabam lacrymis,
„ crine tergebam.... Et mihimet iratus, & rigidus,
„ solus deserta penetrabam. Sic ubi concava vallium,
„ aspera montium, rupium prærupta cernebam; ibi meæ
„ Orationis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum."

Epist. ad Eustoch.

Descriptionis tandem gestorum & actionum eximium præbet exemplum S. Ambrosius dicens de S. Agnete: „ Hæc inter cruentas carnificum impavida
„ manus, hæc stridentium gravibus immobilis tractibus
„ catenarum. Nunc furentis mucroni militis totum of-
„ ferre corpus, mori adhuc nescia, sed parata: vel si
„ ad aras invita raperetur, tendere Christo inter ignes
„ manus; atque in ipsis sacrilegis focis trophæum Do-
„ mini signare triumphis: nunc ferratis colla manusque
„ ambas inserere nexibus: sed nullus tàm tenuia mem-
„ bra poterat nexus includere.... Stetit, oravit, cer-
„ vicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quasi
„ ipse addictus fuisset, tremere percussoris dexteram,
„ pallere ora alieno timentis periculo, cùm puella non
„ timeret suo. "

Lib. I. de Virgin.

Quæst. 6ª. *Quomodò fiat Distributio?*

DISTRIBUTIO, seù enumeratio partium, fit cùm varias rei alicujus, V. G. virtutis, vel vitii circumstantias recenset Concionator, aut varios personarum status. Hâc Figurâ optimè usus fuit Apostolus: „ Filii obedite Parentibus vestris in Domino . . . . Et „ vos Patres, nolite ad iracundiam provocare filios ves- „ tros, sed educate in disciplinâ & correptione Do- „ mini. Servi, obedite Dominis carnalibus cum timore & „ tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Deo . . . „ Et vos, Domini, eadem facite illis, remittentes minas.“ Ephes. 6.

Quæst. 7ª. *Quomodò fiat Gradatio?*

GRADATIO fit cùm Concionator aut periodum, aut periodi membrum incipit ab aliquo minori, & quasi per gradus ab ideâ ad ideam semper majorem ascendit, ita egregiè S. Paulus: „ Gloriamur in tribu- Rom. 5. „ lationibus; scientes quod tribulatio patientiam ope- „ ratur, patientia autem probationem, probatio verò „ spem, spes autem non confundit.“ Et iterum: „ Quos C. 8. „ autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos voca- „ vit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos „ & glorificavit.“

Quæst. 8ª. *Quid sit Ironia?*

IRONIA est „ simulata locutio, quæ propriæ ver- „ borum significationi contrarium sensum habet.“ Fit autem à Concionatore, cùm per jocos acutos, arguit vanitatem cupiditatis, peccatorum, voluptatemque eorum falsitatem: non rarò in Libris Sacris reperitur: sic Deus increpans Adamum, ait: „ Ecce Adam quasi Gen. 3. „ unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.“ Et Elias arguit Achab Prophetas, dicens: „ Clamate III. Reg. 18. „ voce majore, Deus enim est, & forsitan loquetur, „ aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dor- „ mit, ut excitetur.“ Hâc tamen Figurâ cautè & rarò utendum in Concionibus Sacris.

Quæſt. 9ª. *Quomodò fiat Occupatio?*

OCCUPATIO fit cùm ea quæ ab adverſariis, aut ab ipſis Auditoribus objici poſſunt, prævenit Concionator, & respondet. Hâc Figurâ utitur Apoſtolus:
II. Cor. 10. „ Ut autem non exiſtimer tanquam terrere vos per „ Epiſtolas, quoniam quidem Epiſtolæ, inquiunt, gra- „ ves ſunt & fortes: præſentia autem corporis infirma, „ & ſermo contemptibilis: hoc cogitet qui ejusmodi „ eſt, quia quales ſumus verbo, per Epiſtolas abſen- „ tes, tales & præſentes in facto. "

Quæſt. 10ª. *Quomodò fiat Periphraſis?*

PERIPHRASIS, ſeu circumlocutio, fit cùm quod uno verbo dici poteſt, ſic pluribus dicitur, ut modus dicendi non uſitatus, Auditores percellat & moveat; ſic S. Chriſoſtomus dicere volens, „ *Moriemini Peccatores*, " Sic circumloquitur: „ Veniet „ tandem improviſum momentum illud, Peccator, in „ quo omnia ſicut umbra prætereunt, ſicut fumus, aut „ phantasma evanescunt, à quo finitur tempus, incipit „ verò Æternitas. "

Quæſt. 11ª: *Quomodò fiat Proſopopeïa?*

PROSOPOPEIA fit cùm Concionator loquentem inducit aliquem, vel Vivum, vel Mortuum; vel Deum, vel Angelum, vel etiam rem inanimatam, Virtutes, Vitia, Provincias, Urbes, &c. Sic Salomon
Sap. 5. damnatos inducit loquentes: „ Ergo erravimus à viâ „ veritatis & juſtitiæ. Lumen non luxit nobis, & Sol „ intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in „ viâ iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias „ difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid „ nobis profuit ſuperbia? Aut divitiarum jactantia quid „ contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam um- „ bra, & tanquam nuntius percurrens:... Sic & „ nos nati, continuò deſivimus eſſe: & virtutis quidem „ nullum ſignum voluimus oſtendere: in malignitate autem „ noſtrâ conſumpti ſumus. Talia dixerunt in Inferno „ hi, qui peccaverunt. "

ITA S. Ambroſius loquentem inducit S. Agnetem:

„ Quantorum vota, ut sibi ad Nuptias proveniret? At Lib. de
„ illa: & hæc Sponsi injuria est, inquit, expectare Virg.
„ placituram. Qui me sibi prior elegit, accipiet. Pe-
„ reat corpus quod amari potest oculis, quibus nolo. "

Quæst. 12ª. *Quomodò fiat Repetitio?*

REPETITIO fit cùm pluriès repetit Concionator idem verbum seù vocabulum, & eumdem sensum, ut majorem ipsi vim trubuat, animosque Auditorum magis feriat, ita Jeremias: „ Gladius ad Chaldeos, C. 50.
„ ait Dominus, & ad Habitatores Babylonis, & ad
„ Principes, & ad Sapientes ejus: gladius ad Divinos
„ ejus qui stulti erunt: gladius ad fortes illius qui ti-
„ mebunt: gladius ad Equos ejus, & ad currus ejus,
„ & ad omne vulgus, quod est in medio ejus; & erunt
„ quasi mulieres; gladius ad thesauros ejus qui diri-
„ pientur. "

Quæst. 13ª. *Quomodò fiat Subjectio?*

SUBJECTIO fit cùm Concionator se interrogat, sibique ipsemet respondet. Hâc Figurâ utitur Apostolus: „ Quid ergo ampliùs Judæo est? Aut quæ uti-
„ litas Circumcisionis? Multùm per omnem modum... Rom. 3.
„ Numquid iniquus est Deus, qui infert iram? (Se-
„ cundùm hominem dico,) Absit.... Quid ergo?
„ Præcellimus eos? Nequaquam, causati enim sumus
„ Judæos, & Græcos omnes sub peccato esse....
„ Ubi est gloriatio tua? Exclusa est. Per quam Le-
„ gem? Factorum? Non: sed per Legem Fidei....
„ An Judæorum Deus tantùm? Nonnè & Gentium?
„ Immò & Gentium.... Legem ergo statuimus per
„ Fidem? Absit, sed Legem statuimus. "

---

§. 2.

QUOT sint Figuræ ad movendos Auditores idoneæ?

DUODECIM tantùm admitti solent à Concionatoribus Figuræ, quibus Auditores moveri solent ad amorem, & ad cultum virtutis, & ad odium, fugamque vitii; sunt autem Admiratio, Antithesis, Apostro-

phe, Epiphonema, Exclamatio, Exhortatio, Imprecatio, Interruptio, Obsecratio, Optatio, Reticentia, Suspensio. De quibus, sicut de suprà enumeratis, solùm hic dicemus quid sint, & quo modo ab Oratoribus Sacris adhibitæ fuerint? Quid autem circa illas sit observandum, fusiùs videre poteris ubi de corde agemus.

Quæst. 1ª. *Quid sit Admiratio?*

ADMIRATIO est „ Oratoris motus, quo aliquid miratur, & ita admirandum exhibet Auditoribus suis, ut ipsis velut incredibile, & incomprehensibile videatur. " Hæc autem Figura adhiberi debet tantùm de rebus verè Admiratione dignis; hujus exemplum habemus in Libris Sacris: „ Quomodò cessavit Exactor, quievit tributum? Contrivit Dominus baculum Impiorum, virgam Dominantium, cædentem Populos in indignatione, plagâ insanabili, subjicientem in furore Gentes, persequentem crudeliter.... Quomodò cecidisti de Cœlo, Lucifer, qui manè oriebaris? Corruisti in terram qui vulnerabas Gentes. „ Quomodò sedet sola Civitas plena Populo: facta est quasi vidua Domina Gentium. Princeps Provinciarum facta est sub tributo. "

Isai. 14.

Thren. 1.

Quæst. 2ª. *Quomodò fiat Antithesis?*

ANTITHESIS fit cùm verba verbis, sententiæ sententiis, vel periodi periodis opponuntur: sic Apostolus: „ In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei Ministros.... per gloriam & ignobilitatem: per infamiam. Et bonam famam: ut seductores & veraces: sicut qui ignoti & cogniti: quasi morientes, & ecce vivimus.... Quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes. Tanquam nihil habentes & omnia possidentes. Ita S. Ambrosius: „ Novum Martyrii genus: non dum idonea pœnæ, & jam matura victoriæ: certare difficilis, facilis coronari. Magisterium virtutis implevit, quæ præjudicium vehebat ætatis. Non sic ad thalamum nupta properaret, ut ad supplicii locum, læta successu; gradu festinâ Virgo processit: flêre

II. Cor. 6.

Lib. de Virg.

„ omnes, ipſa ſine flectu; mirari plerique, quòd tam
„ facilè vitæ ſuæ prodiga, quam non dum hauſerat,
„ jam quaſi perfuncta donaret. Stupére univerſi, quod
„ jam Divinitatis Teſtis exiſteret, quæ adhuc arbitta
„ ſui per ætatem eſſe non poſſet. “

Quæſt. 3ª. *Quomodò fiat Apoſtrophe?*

APOSTROPHE fit cùm Concionator ſubitò ſermonem abrumpit, ut ipſum convertat ad perſonas vel præſentes, vel abſentes, vel vivas, vel mortuas, vel etiàm ad res inanimatas quas alloquitur; hâc præclarè uſi ſunt Prophetæ: ſic Iſaïas: „ Audite Cœli, C. 1.
„ & auribus percipe terra, quoniàm Dominus locutus
„ eſt: Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreve-
„ runt me. Cognovit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus
„ præſepe Domini ſui: Iſraël autèm me non cognovit,
„ & Populus meus non intellexit. “ Et Jeremias: „ C. 2.
„ Obſtupeſcite Cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſola-
„ mini vehementer, dicit Dominus: duo enim mala
„ fecit Populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ
„ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas,
„ quæ continere non valent aquas. “

ITA Tertullianus mulieres alloquens: „ Prodite vos Lib. de
„ jam de medicamentis, & ornamentis extructæ Apos- cultu fœm.
„ tolorum, ſumentes de ſimplicitate candorem, de pu-
„ dicitiâ ruborem, depictæ oculos verecundiâ, & ſpi-
„ ritus taciturnitate, inſerentes in aures ſermonem Dei,
„ annectentes cervicibus jugum Chriſti. Caput maritis
„ ſubjicite, & ſatis ornatæ eritis. Manus lanis occu-
„ pate, pedes domi fugite, & plùs quàm in auro pla-
„ cebunt. Veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanc-
„ titatis, purpurâ pudicitiæ, taliter pigmentatæ Deum
„ habebitis amatorem. “

Quæſt. 4ª. *Quid ſit Epiphonema?*

EPIPHONEMA eſt „ Sententia brevis, vehe-
„ menti voce expreſſa, quâ Concionator ratioci-
„ nium, aut exhortationem concludit. “ Sic de patientiâ Job, Tertullianus ait: „ Itaque operarius ille
„ victoriæ Dei, retuſis omnibus jaculis tentationum,

,, loricâ clypeoque patientiæ, & integritatem mox cor-
,, poris à Deo recuperavit, & quæ amiserat, condu-
,, plicata possedit: & si Filios quoque restitui voluisset,
,, Pater iterum vocaretur. Sed maluit in illo die reddi
,, sibi tantùm gaudii; securus sic de Domino, distulit,
,, sustinuit tam voluntariam morbitatem, ne sinè aliquâ
,, patientiâ viveret. Adeò satis idoneus patientiæ se-
,, quester Deus! Si injuriam deposueris, penès eum
,, ultor est. Si damnum, restitutor est: si dolorem, me-
,, dicus est: si mortem, ressuscitator est. Quantùm pa-
,, tientiæ licet, ut Deum habeat debitorem! "

Epist. 33. Et D. Hieronimus: ,, Divitem purpuratum gehennæ
,, flamma suscipit. Lazarus pauper & ulceribus plenus,
,, cujus carnes putridas lambebant canes, & vix de
,, micis mensæ locupletis miserabilem sustentabat ani-
,, mam, in sinu Abrahæ recipitur, & tanto Patriarchâ
,, Parente lætatur. Difficile, immò impossibile est, ut
,, præsentibus quis, & futuris fruatur bonis, ut & hîc
,, ventrem, & ibi mentem impleat, ut de deliciis tran-
,, seat ad delicias, ut in utroque sæculo primus sit; ut &
,, in Cœlo & in Terrâ appareat gloriosus. "

Quest. 5ª. *Quid sit Exclamatio?*

EXCLAMATIO est Figura, quâ Concionator, firmissimis argumentis, ad veritatem propositam probandam, præmissis, quasi indignans, ex eò quòd dictis, & probatis non assentiuntur Auditores, aut operibus non probant quod credunt, vocem elevat eò vehementiori motu, quò breviori tempore durare debet, ipsisque eo-
C. 3. rum incredulitatem exprobrat. Sic D. Paulus increpat Galatas per exclamationem: ,, O insensati Galatæ!
,, quis vos fascinavit non obedire veritati, antè quorum
,, oculos Jesus Christus præscriptus est in vobis cruci-
,, fixus! ... Sic stulti estis, ut cùm spiritus cæperitis,
,, nunc carne consummemini? Tanta passi estis sine
,, causâ; si tamen sine causâ! "

Lib. de Idolol. Ita Tertullianus: ,, Attollere ad Deum Patrem ma-
,, nus, Mater Idolorum, his manibus adoraro; quæ
,, foris adversus Deum adorantur, eas manus admovere
,, corpori Domini, quæ Dæmoniis corpora conferunt.

,, Ipsa

„ Ipsa tradunt aliis, quod contaminaverunt, adlegun-
„ tur in Ordinem Ecclesiasticum artifices Idolorum,
„ proh scelus! Semèl Judæi Christo manus intulerunt,
„ isti quotidiè corpus ejus lassessunt. O manus præs-
„ cindendæ! "

Quæst. 6ª. *Quomodò fiat Exhortatio?*

EXHORTATIO fit cùm in eodem motu plures ideas sensibiles, & urgentes congregat, & constringit Concionator, quibus suadetur & inducitur Auditor ad vitium fugiendum, aut virtutem colendam: sic Jsaïas: „ Lavamini, mundi estote, auferte malum co- C. 1.
„ gitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere
„ perversè, discite benè facere, quærite judicium, sub-
„ venite oppresso judicate Pupillos, defendite Viduam,
„ & venite, & arguite me, dicit Dominus: si fuerint
„ peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. "

Et S. Ambrosius: „ Jezabel ipsam comederunt ca-
„ nes, & volucres Cœli, ut ostenderetur quòd spiri- Lib. de Nabuthe. C. 11.
„ talis nequitiæ fiat præda divitis sepultura. Fuge ergo,
„ dives, hujus modi exitum. Fugies hujus modi exi-
„ tum, si fugeris hujusmodi flagitium. Noli esse Achab
„ ut possessionem finitimam concupiscas. Non tibi co-
„ habitet, Jezabel, illa feralis avaritia, quæ tibi cruenta
„ persuadeat, quæ cupiditates tuas non revocet, sed
„ impellat. "

Quæst. 7ª. *Quid sit Imprecatio?*

IMPRECATIO est „ Figura quâ Concionator
„ contrà Auditorum obstinationem, & impœniten-
„ tiam indignatione commotus, optat ut, nisi conver-
„ tantur, in manus Dei ulciscentis incidant. " Sic Psalm. 68.
David: „ Fiat mensa eorum coràm ipsis in laqueum,
„ & in retributionem, & in scandalum. Obscurentur
„ oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper
„ incurva. Effunde super eos iram tuam, & furor iræ
„ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum de-
„ serta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.
„ Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non
„ intrent in justitiam tuam. Deleantur de libro viventium,
„ & cùm justis non scribantur. "

Quæst. 8ª. *Quomodò fiat Interruptio?*

INTERRUPTIO fit cùm Concionis probationem, aut aliquam narrationem subitò abrumpit Concionator, ut aliquâ passione indignationis, vel gaudii, vel doloris raptus, per exclamationem, vel per apostrophem Auditores, aut Deum, aut Homines alloquatur. Sic Ambrosius: „ Stabas in Choro psallentium, & impudicis „ nutibus loquebaris. Pro nefas! non possum ultra „ progredi. Prorumpunt lacrymæ antè quàm verba; „ & indignatione pariter ac dolore in ipso meatu fau- „ cium spiritus coarctatur. "

In Epist. ad Sabin.

Quæst. 9ª *Quomodò fiat Obsecratio?*

OBSECRATIO, seù Obtestatio, quæ ad penitùs tandèm movenda Auditorum corda per probationes jam convicta, necessaria est, fit cùm Concionator Auditores rogat, & obtestatur per ipsorum salutem, & quidquid sibi habent charissimum, ut vel vitium fugiant, vel virtutem colant, de quibus ad ipsos sermonem habet. Sic D. Paulus: „ Obsecro vos itaque, „ Fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora „ vestra Hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, „ rationabile obsequium vestrum. " Et: „ Obsecro „ itaque vos, ego vinctus in Domino, ut dignè am- „ buletis vocatione quâ vocati estis. "

Rom. 12. Ephes. 4.

Quæst. 10ª. *Quid sit Optatio?*

OPTATIO est „ Figura, quâ Auditoribus, subitaneo motu, Concionator vehementi se desiderio, ipsorum salutem, conversionem, perfectionem, „ concupiscere, & optare exhibet. " Sic Jeremias: „ Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem „ lacrymarum? Et plorabo die ac nocte interfectos „ filiæ Populi mei: quis dadit me in solitudine diver- „ sorium viatorum: & derelinquam Populum meum, „ & recedam ab eis. "

C. 9.

Quæſt. 11ᵃ. *Quid ſit Reticentia?*

RETICENTIA eſt „ Figura, quâ ſilere, & „ prætermittere videtur Concionator aliquid, quod „ tamen rectiùs dicit ſilentio ſuo, quàm ſi re verâ illud „ fuſiùs diceret, aut clariùs. " Sic S. Paulus Philemoni probat quanta ſibi deberet, dicens de Oneſimo: „ Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi „ imputa, ego Paulus ſcripſi meâ manu: ego reddam, „ ut non dicam tibi quod & te ipſum mihi debes. " Et: „ Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos: „ aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ „ ad rem non pertinet. " Hâc autem Figurâ optimè utuntur Concionatores Sacri, his, aut ſimilibus verbis: „ *Nihil hîc dico de ſecretis illis criminibus, &c. Abſit* „ *ut hîc aperiam, & oculis veſtris exhibeam, &c. Utinàm æterno ſepeliantur ſilentio crimina illa, &c.* "

Quæſt. 12ᵃ. *Quomodò fiat Suſpenſio?*

SUSPENSIO fit cùm Auditorum animos ſic ſuſpenſos, & dubios efficit Concionator, per quosdam loquendi modos, ut anxii expectent, & majori attentione, quid dicturus ſit. Modi autem loquendi, quibus uti ſolent Concionatores Sacri, ſunt, V. G. „ *Quid à* „ *me hîc expectatis? &c. A me profectò expectatis, &c.* „ *Quò me hîc vertam neſcio; quibus utar verbis ad, &c.* " Sic Salvator Samaritanam alloquens: „ *Si ſcires*, inquit, Donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi: Da „ mihi bibere: tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet „ tibi aquam vivam .... Omnis qui bibit ex aquâ hâc, „ ſitiet iterùm: qui autem biberit ex aquâ quam ego „ dabo ei, non ſitiet in æternùm, ſed aqua quam dabo „ ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. "

Et Ezechiel mirùm in modum ſuſpenſos reddit animos præ expectatione dicens: „ Putas ne, vides tu quid iſti „ faciunt, abomintiones magnas, quas Domus Iſraël „ facit hîc? .... Et adhuc converſus, videbis abo- „ minationes majores .... Ingredere, & vide abomi- „ nationes peſſimas quas iſti faciunt hîc .... Certè C. 8.

„ vides quæ Seniores Domûs Israël faciunt in tenebris, „ unus quisque in abſcondito cubiculi ſui .... Adhuc „ converſus videbis abominationes majores quas iſti „ faciunt, &c. "

Quæſt. 13ª. *Quid de Sententiis & Stylo?*

INTER Figuras ad docendum, aut movendum idoneas, meritò adnumerandæ ſunt Sententiæ; ſunt enim Concionum præclariſſima ornamenta, ſi in illis prudenter adhibeantur, & identidèm admisceantur. Sententiæ autem ſunt „ generalia quædam principia, modo ſublimi „ expreſſa, paucis quidem verbis, ſed præclaram aliquam veritatem aut politicam, aut moralem complectentibus, " quæ ſi poſt aliquam probationem, aut narrationem adhibeantur, per modum concluſionis, & conſequentiæ, fit Epiphonema de quo ſupradictum eſt. Harum exempla paſsìm in Evangelio reperiuntur. In Libris autem Salomonis, ferè tot hujusmodi Sententiæ ſunt, quot verſus præſertim in Proverbiis. De Sententiis iterùm non nihil alibi * dicetur.

* *Lib. 7.*

STYLUM pariter, nemo neſcit recenſeri poſſe, nec immeritò, inter Figuras, cùm ſit quaſi color quidam in toto corpore diffuſus, ex quo reſultat Concionis venustas: eſt autem modus, quo quisquis cogitationes ſuas exprimit; de eo igitur hìc dicerem, non ſecùs ac de pronuntiatione, & pertinentibus ad eam, niſi ſpecialiùs, & fuſiùs alibi * dicturus eſſem.

* *Lib. 7.*

NE itaque plùs æquo augeatur Liber iſte de Quæstionibus Procœmialibus, ad ſecundum properamus: ſit igitur.

RHETORICÆ SACRÆ
LIBER SECUNDUS.

DE MONITIS ET REGULIS GENERICIS
Circa Conciones quascumque Sacras.

EX RHETORICÆ noſtræ deſcriptione huic Tractatui præmiſſâ patet finem cujuslibet Concionis Sacræ eſſe, ut Chriſtianus Orator, 1°. Auditores ſuos doceat quid agere & vitare, quid credere, ſperare, & timere debeant, ad ſalutem æternam conſequendam. 2°. Ut eos ad hæc omnia efficaciter inducat. Cùm autem voluntas non moveatur, niſi priùs intellectus ipſi rationes, & motiva exhibeat, ob quæ moveatur, aut moveri poſſit ad amorem, vel odium; ad fugam, aut deſiderium; ad timorem, vel audaciam, ſeu magnanimitatem; ad gaudium, vel dolorem; (nihil enim volitum, quin præ cognitum:) Cùm aliundè ex imaginativâ potentiâ, non ſecùs ac à ſenſibus externis, & internis, ſuas plerumque cognitiones veluti Mutuetur intellectus, eâque indigeat, ideò priùs quàm de Monitis & Regulis Concionatori Sacro neceſſariis agamus, ad affectus cordis, ſeu voluntatis, movendos in Concione, poſtulat naturalis Ordo, ut Monita generalia hîc tradamus, tùm circa phantaſiam, tùm circa intellectum, ad quæ profectò, ſedulò debet Concionator attendere in Concionum ſuarum compoſitione. Librum itaque iſtum in duas tantùm Sectiones dividemus, prior de Phantaſiâ, & pertinentibus ad eam erit, poſterior verò de intellectu. Undè incipit.

SECTIO PRIMA.

Quid Concionatori advertandum sit circà Phantasiam, & media ad illam excitandam?

A PHANTASIA utique exordiendum est; quæ etsi facultas sit non valdè nobilis, (brutis enim communis est, *) magnâ tamen vi pollet mentes, animosque maximè rudes inclinandi, ut potè quæ à sensibilibus objectis excita, & accensa, suas parti appetitivæ, rationalique communicat impressiones. Tantam imò habet cum Eloquentiâ affinitatem, ut cæterarum potentiarum affinitatem propè excedat; non magis siquidem laborat Eloquentia in novo veritatis lumine detegendo, (quod mediante intellectu præstat); nec adeò in novâ bonorum allicientium specie investigandâ, (quod cordis est,) quàm insolitis modis, coloribusque inveniendis, quibus ipsummet verum, bonumque penitùs ingerat animis, est sollicita, (quod imaginantis potentiæ acumine solet præstrare.) Hâc igitur mediante, multùm sibi utilitatis comparabit Orator.

* *Secudùm alimos Philosophos.*

NON huic tamen adeò est indulgendum, aut inserviendum, ut quædam ejus instinctu fiant, quæ, Ecclesiasticum præsertim, dedecent Concionatorem, ut sunt actiones quædam, ac gestus comicam artem redolentes, non verò Apostolicum Ministerium: possessoriæ quædam concussiones, severique intuitûs, quibus non Pater adhortans, sed Judex exhibetur puniens: fœminea quædam, puerilisque venustas, quæ priùs Oratoris levitatem in habitu, incessuque pandunt, quàm hanc verba demonstrent. Procùl hæc sint Christiano ab Oratore, qui in ordinatos sui ipsius priùs debet affectûs compescere.

AD excitandam autem Phantasiam triplicis sunt generis media. 1°. Descriptiones; 2°. Similitudines; 3°. Figuræ. Per Descriptiones, & Similitudines, utique dicenda quælibet adeò graphicè pinguntur, ut oculis videantur exhibita; sed istis moderatè utendum; ipsarum enim

uſus, quantùmlibet proſit ad figendam ſimùl, & accendendam potentiam imaginatricem, necnon & ad ipſam, cùm quaſi laſſa; & tædio affecta eſt, exhilarandam; ipſam tamen, ſi immoderatus fuerit, nimis divertere ſolet, & aliò abripere. Aliud quippè eſt Eloquentia, aliud verò Poëſis: iſta enim, cùm delectationem potiſſimùm intendat, diverticula expoſcit, quibus ad varia, disparataque objecta transfertur; Eloquentia verò nihil, præter audientium inſtructionem, commotionemque quærit per ipſummet delectationis uſum.

QUÆSTIO PRIMA.

QUALIS Similitudinum ſit Uſus?

QUOMODO Deſcriptionibus, Comparationibusque uſi ſint illuſtriores Eloquentiæ Magiſtri, hîc placet retexere. Perpendentes enim eas proprietates ac circumſtantias, quæ propoſitas ſibi veritates, non modicùm aliquandò abſtruſas, ſenſibiliores exhibere poterant, ſobriè, nec absque energiâ, nec ad inanem pompam cauſis ſuis extranea adhibere ſolebant. Exemplum hìc non pigeat audire, ab illuſtri Oratore Demosthene, qui Athenienſium animos Philippi Macedonum Regis, formidando exercitu dejectos erigere volens, hoc præſtat Olynthiacâ ſecundâ, (*a*) per Similitudinem, quâ victorias ejus probat non eſſe duraturas, ut potè vexatione partas, ac fraude: „ Mihi videtur, inquit, „ quòd ſicut domus, naves, aliaque id genus arte „ facta, ut firma conſiſtant, firmiſſimo debent funda„ mento fulciri: ſic itidem magnorum ſuſceptio ope„ rum, ſuper veritatem, juſtitiamque fundari expoſ„ cit. " (*b*) Ut videtis, in domorum, naviumque

(*a*) Hujus modi Orationes Olynthiacæ dicuntur, quia eas dixit Demoſthenes ad incitandos Athenienſes adversùs Philippum, dùm bellum Olynthiis, ſic ab Olyntho dictis, Urbe Thraciæ juxtà Atticam Regionem, ſub Imperio tunc Athenienſium, inferebat.

(*b*) Verba citatæ Orationis non ſunt illa eadem, in quæ de Græco in Latinum idioma verſa ſunt, quia non vocat legere Traductorem in fonte, aut etiam aliquandò deficiunt Libri: quâ de cauſâ, plura alia exempla eodem modo tradentur. Quia tamen poſſet Lector aliquod pati dispendium; quippe non verba, ſed ſenſus attendendus eſt.

couſtructione non erat peritus tantus Orator, undè graphicam exarare valeret domûs, naviſque Deſcriptionem; hoc ipſi tamen ſatis erat, quia Oratoris partes agere intendebat, non verò Architecti, naviumque ſtructoris; nec talis haberi volebat, prout non nulli nunc nimis affectant. Quo ſit ut, & audientium animus à præcipuo objecto diſtrahatur, & ſubſtantialium rerum ſapor, in eis, quaſi obtundatur; non ſecùs ac ei contingit, qui initio convivii, dape dulciuſculâ palatum vellicans, ſenſum pro cæteris, aliòqui utilioribus ferculis, ferè prorsùs amittit.

QUÆSTIO II.

QUID circa Similitudines ſcripturales ſit animadvertandum?

SI de Similitudinibus ex Scripturâ S. depromptis fiat ſermo, de quibusdam ſcilicèt dictis, dicendique formulis, quibus Sacros per Auctores utitur Deus, quibus roboratur, illuſtraturque, ac Audientium cordibus inculcatur propoſitum argumentum: has utiquè optimum eſt adhibere; vim ſiquidem Sacræ Eloquentiæ maximam afferunt; & à Deo ipſo, ad faciliùs expugnandas hominum mentes, ſæpiſſimè adhibentur in Eccleſiaſtico, Eccleſiaſte, & Prophetarum Libris, in quibus Parabolæ vividæ locutiones, aliaque plurima id genûs paſſim reperiuntur. Sunt autem hæc Populi ingenio conſona, hæc memoria retinet, his & movetur. Proſperè admodùm ad illuſtrandam Chriſtianæ Legis vim uſus eſt dictis Iſaïæ Cap. 60. *Bourdaloüe*, & quidem ità fortiter, concinnè & eleganter, ut dulciſſimam ſimul & nobiliſſimam, Religionis noſtræ ideam excitet in animo, dicens: „ *Levez-vous, & montrez-vous à toute la* „ *Terre, heureuſe Jéruſalem; car le Seigneur vous a cou-* „ *ronnée de ſa gloire, & revêtuë de ſa force toute-puiſſante.* „ *Jettez les yeux autour de vous, & voyez tous les Peuples* „ *aſſemblés auprès de vous, & humiliés devant vous. Ils* „ *ſont venus de toutes les parties du Monde pour ſe ſoumettre* „ *à votre Empire. En voilà de l'Orient, en voilà de l'Oc-* „ *cident: en voilà du Septentrion, & en voilà du Midi,*

T. 1. pag. 216.

Il

„ *Il n'y a point de Région si éloignée, point de Contrée qui*
„ *ne reconnoisse votre suprême Domination. Ah, glorieuse*
„ *Mere! ce ne sont point seulement des Sujets qui viennent*
„ *vous rendre hommage; ce sont vos Enfans, ce sont les*
„ *Fruits de votre fècondité miraculeuse: ouvrez votre Sein*
„ *pour les recevoir. Quelle multitude, quelle affluence! Que de*
„ *triomphes & de conquêtes! Que de consolation pour votre*
„ *Cœur! Jouissez de vos &c.*" Eadem hîc juvat Latino idiomate exprimere: „ *Surge*, (a) *illuminare Jerusalem, quia* (a) Isai. C. 60.
„ *gloria Domini super te orta est.* Surge, & toti te
„ orbi terrararum ostende, fœlix Jerusalem! Suâ enim
„ te & gloriâ coronavit, & fortitudine induit Dominus
„ omnipotenti. *Leva* (b) *in circuitu oculos tuos*, & con- (b) Ibid.
„ gregatos, & humiliatos coram te inspice Populos
„ omnes: ex singulis orbis terrarum plagis venerunt
„ Leges tuas servaturi. Alii ab Oriente, alii ab Occi-
„ dente, ab Austro, & ab Aquilone. Nulla Regio
„ etiam remotissima, nulla Gens sub Cœlo est tuo non
„ subdita Imperio supremo. *Omnes isti congregati sunt*
„ (c) *venerunt tibi.* Non subditi tantùmmodò, addic- (c) Ibid.
„ tiorem tibi clientelam professuri; sed Filii tui miracu-
„ losæque fœcunditatis tuæ Fructûs. Gremium tuum
„ pande hos suscepturum. *Filii tui de longè* (d) *venient*, (d) Ibid.
„ *& Filiæ tuæ de latere tuo surgent.* Quanta multitudo,
„ & affluentiâ! Quot triumphi & bello-parta! Quantæ
„ cordis tui consolationes! Fruere victoriis tuis pros-
„ perisque eventibus, supremumque Dominum glorifica,
„ cujus victrix gratia trans maria penetravit, & mira-
„ bibilia hæc omnia pro te operata est. *Tunc videbis*
„ *& afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando*
„ *conversa fuerit ad* (e) *te multitudo maris, fortitudo Gen-* (e) Ibid.
„ *tium venerit tibi*, *&c.*"

Magnifici sunt ac perutiles hi, & similes S. Scripturæ loci. Alii autem in quibus aut fœminea describuntur ornamenta, aut aliqua tractantur, quæ abstrusa sunt & recondita, aut non modicam inducunt distractionem, omittenda sunt; non omnia siquidem cuilibet apta sunt, quæ Scriptura complectitur; imò & contingere præterea potest, ut per Scripturas inconsultò, imprudenterque adhibitas, Audientium animi, nullâ solidâ utilitate perceptâ, divertantur.

QUÆSTIO III.

QUID de aliis Phantasiæ excitamentis, seu de Figuris quibusdam?

PRÆTER has autem, quæ ex S. Litteris desumi queunt, similitudines, aliæ insuper, si fertilis sit Oratoris Phantasia, confici diversimodè possunt; vel fingendo scilicèt quæ non sunt, sed essent, vel esse possent; vel imaginando præsentia, quæ absentia sunt; vel præterita revocando; vel rem pingendo, ac describendo, perinde ac si Auditorum esset sensibus exhibita, in has, hisvè non absimiles formulas erumpendo: „ *Si* „ *vobis hìc nunc objiceretur &c. Si ibi tunc fuissetis &c.* „ *Fingite, animo recogitate &c. Mecum spiritu revo-* „ *cate &c. Cogito: mihi videtur: video: quæ vox est* „ *quam audio? &c.* " Quæ quidem loquendi formulæ, Sacræ non minùs, quàm Prophanæ Eloquentiæ communes, phantasticam facultatem mirum in modum incendunt, & commovent.

Hùc revocandæ sunt allocutiones cum mortuis, & absentibus, fictarum personarum introductio, V.G. Patriæ, Reipublicæ, Ecclesiæ: hùc maxima Rhetoricorum Schematum pars; quorum usus forsan alius non est, quàm Phantasiam percellere, & in suum objectum inflammare. Hujusmodi imagines locum pariter habent in Exordiis, Narrationibus, Probationibus, Confutationibusque, & Affectibus. Superest ut Judices, an huic, aut alteri Orationis parti, hæc congruat, aut illa. Perutiles sunt non nullis argumentis imagines illæ, V. G. novissimis hominis, Purgatorio, punitionibus Divinis &c. Aliis verò non ita adaptantur: & vix ullum est, à quo prorsùs excludantur. Prudentiâ itaquè hìc tibi opus est, ac discretione non minimâ; Idem enim in Orationibus præstant imagines illæ, quod in palatiis picturæ, quæ juxtà situm, locumque suum, aut congruæ apparent, aut incongruæ; nobiliorum enim Eloquentiæ radiorum, si immutetur aspectus; si Figuris servatis, ac conceptibus, in aliâ Orationis parte adhibeantur, aut insulsa, aut saltèm non adeò venusta evadet Oratio.

Advertendum præterea Phantasiam levitati & inconstantiæ obnoxiam esse potentiam; cui scilicèt placent semel proposita, sæpiùs proposita displicent. Phantasticæ igitur imaginationes oportet ut, vel per novas suppleantur, vel novis saltèm circumstantiis induantur, & adjunctis. Non nullis ideò persuasum tandem aliquandò vellem quasdam suas imaginationes, rancidis depictas coloribus, eodem modo ab hominibus haberi, quo Templorum facies; quæ quantùmvis pulcherrimæ, quia tamen semper eædem sunt, nec admirationem, imò nec adventantium intuitus sibi conciliare solent.

De his exempla quærentibus respondeo, hæc ab uno quoque, & quidem uberrima comparari posse, ex Demosthene præsertim & Tullio, pro Orationibus non Sacris: pro Sacris verò, (præter quàm quod & prosunt Prophani Auctores,) ex SS. Gregorio Nisseno, & Nazianzeno, in Orationibus pro Pauperibus: ex Salviano, in Libris contra Avaritiam : sed præcipuè ex D. Chrisostomo in Homiliis ad Populum. Imaginationum autem vivacitas, & nitor, etsi Auditorum animum demulceant, non captivant tamen, prout rationes quibus id competit, ut harum pondere & fulgore, & mens illustretur, & rationalis appetitus moveatur, ac expugnetur.

SECTIO SECUNDA.

Quid Concionatori advertendum sit circa intellectum & media ad intellectum illuminandum adhiberi solita ?

Tribus mediis illuminari potest intellectus, seu doceri possunt Auditores à Concionatoribus: scilicèt 1°. Auctoritate; 2°. Doctrinâ; 3°. Ratiocinio. Circa quæ cùm plura sint advertenda, Sectio ista in tria dividenda est Capitula. Sit itaque

CAPUT PRIMUM.

DE SCITU NECESSARIIS CIRCA AUCTORITATEM.

TRIPLICEM constat esse Auctoritatem, quâ uti potest Concionator necessaria ad salutem Fideles docturus: alia Divina quæ in Scripturâ Sacrâ, & Traditione reperitur: alia Ecclesiastica: alia Prophana; de illis igitur nobis est dicendum per singula.

ARTICULUS PRIMUS.

DE AUCTORITATE DIVINA.

Quæstio prima. *Quid sit?*

PRIMUM hîc locum obtinet Auctoritas: Ratio verò etsi in aliis disciplinis, scientiisque principetur, in istâ tamen prorsùs ancillatur. Certissimæ enim, indubitabilisque veritatis prærogativâ, præ quibuscumque naturalibus scientiis, jure meritò gloriatur revelatio Divina. Veruntamen sicut humano in corpore spiritus vitales huc illuc discurrunt, & graviusculis corporis partibus agilitatem, vigoremque impertiuntur, & externam simul cutem vivido quodam colore afficiendo, hominem vivere probant, & ut ità dicam, indigitant, sic pariter in supernis veritatibus, ad fidem moresque spectantibus ita immiscetur ratio, ità eas agitat, vivificat, suoque lumine veluti confortat, & roborat, ut tutiorem, uberioremque in mentibus effectum operentur.

Auctoritate Divinâ pollet Verbum Dei sivè scriptum sit, sivè traditum, dum modò ut tale ab Ecclesiâ recognitum, & nobis propositum. Quia tamen Sacrâ præsertim Scripturâ uti solent Oratores Sacri: grates Deo potissimùm ex eo sunt persolvendæ, quòd jam non vigeat abusus ille, quo juxtà cujusque ineptiorem sensum sacra verba detorquebantur ab Oratoribus Christianis, non quidem ad pravum finem Hæreticorum more; sed ad vanam pompam, inanemque gloriam.

Quæſtio ſecunda. *Quis ſit ejus Uſus?*

AD intelligentiam autem S. Scripturæ, varios ejus ſenſus noſcere congruum eſt, ſcilicèt Litteralem, Tropologicum, Allegoricum, & Anagogicum. Litteralis itaque verba in proprio ſenſu uſurpata importat. Tropologicus, qui & moralis, ſic dicitur, quia ad morum informationem inſervit. Allegoricus Chriſto & Eccleſiæ militanti alludit. Anagogicus tandem ad triumphantem Eccleſiam, ſtatumque Beatitudinis refertur. Qui quidem quomodo adhibendi ſint ſenſus, ex Theologiâ diſcere quisque poterit. Præter quos tamen quintum adhuc habet S. Scriptura ſenſum, qui accomodatitius nuncupatur; vel quia aliis pariter objectis adaptatur, ac iis, quibus intendit ſupremus dictator: vel quia mirum in modum illorum aptatur neceſſitati, qui modicâ pollent Doctrinâ. Ad probandum autem, parùm, ne dicam nihil, inſervit ſenſus iſte: tantùm enim valet, quantùm accommodantis Auctoritas. Ex his ſenſibus, unus aliis SS. Patribus magis arridet, alter verò aliis. Atque hinc dimanat miranda illa expoſitionum, ſententiarum, conceptumque varietas, quæ in ipſorum admirandis operibus cuilibet volenti, & ſcienti in promptu eſt. De ſenſu autem & vario uſu S. Scripturæ vide, & identidem Tractatum R. Patris Thomæ *De Charmes.*

ARTICULUS SECUNDUS.

DE AUCTORITATE ECCLESIASTICA.

DUPLEX eſt Actoritas Eccleſiaſtica, quâ uti ſolent Concionatores in Concionibus; (locus enim eſt externus, Rhetoricæ noſtræ, ut diximus ſuprà;) alia eſt Doctrina Sanctorum Patrum, alia verò Hiſtoria à Sacris Auctoribus, ſcilicèt Hiſtoria Eccleſiaſtica. De utrâque ut ordinatè dicamus, Sit

QUÆSTIO PRIMA.

QUID advertandum sit à Concionatoribus circa Doctrinam SS. Patrum?

POST Divinam, præcipuum locum tenet SS. Patrum Auctoritas qui quidem veneratione nostrâ digni sunt; sivè quia sublime ingenium à naturâ acceperunt; sivè quia: infatigabili studio adhibito, maximâ profundâque Docttinâ illustres evaserunt: sed potissimùm quia sanctitatis laude cùm florerent, majori lumine mens eorum gaudebat, ad veri, maximè supernaturalis cognitionem: & super Ecclesiæ Candelabro collocati à Domino, singulari propterea lumine ab ipso fuere cumulati. Adverte igitur ad sequentes Quæstiones.

Quæst. 1ª. *Quomodò SS. Patrum Auctoritate utendum sit?*

NEC quisquam hîc in errorem inducatur. Sanctos siquidem Patres non debet Orator clausis sequi oculis; me enim non latet paucos fuisse ex illis, qui inter perfectos Oratores potuerint adscribi: inter Græcos meritò adnumerantur S. Chrisostomus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Basilius, Fraterque ejus S. Gregorius Nissenus, & nonnulli alii, in quibus tamen imitandis, discretione opus est. Latinorum autem major non est numerus. Cùm verò ab omnibus humanis imperfectionibus immunes minimè fuerint viri illi aliundè præclarissimi, mirum non est si in ipsorum Orationibus non nullus irrepserit humanitatis, præventionisque non laudabilis usus. Nemo igitur tantorum Auctoritate virorum abutatur, quosdam verborum conceptuum, necnon subtilitatum ludos, venustos magis quàm veros, quasdam amplificationum, ornamentorum, & interpretationum superfluitates imitando, quæ violentiam redolent, rectæque rationi adversantur; ab illis caveat Christianus Orator; hæc imò in SS. Patribus silentio prætermittat.

Quæst. 2ª. *Quinam ex SS. Patribus sint imitatione digniores?*

NE quis autem malum in sensum dicta detorqueat; hîc addo, quòd, licèt inter Sanctos Patres pauci sint, qui Oratoris perfecti partes undequaque impleverint, si tamen in Republicâ Litterariâ, non omninò déformata sit Eloquentia Sacra, id SS. Patrum industriæ potissimùm debetur; ex quibus nullus est, à quo aliquam non habeamus Oratoriam perfectionem; necnon & plurima, egregia, optimaque ad Rhetoricam Sacram spectantia. Majestate in dicendo excelluit S. Leo: in reflexionum congruentiâ, & formularum præcisione Sancti Basilius, Augustinus & Gregorius Magnus. Alacritatem & energiam magnam ostendunt Sancti Cyprianus, Gregorius Nazianzenus, Tertullianus & Salvianus. In conceptuum, & locutionis elegantiâ præstantes fuere SS. Hieronimus & Ambrosius; suavitatem, unctionemque Spiritûs præ se tulerunt viri mansuetudine admirabiles SS. Bernardus & Bonaventura. Mirabilis est in Sanctis Augustino, & Thomâ Aquinate soliditas, profunditas, doctrinæque & eruditionis immensitas. Plures alios insuper in SS. Patribus, penitùs effodiendo, thesauros invenire possumus: dixi autem *effodiendo*, quia conditi sunt, ac abstrusi Thesauri illi: pretiosæ scilicèt reflexiones, inventionesque ac sententiæ, quas à SS. Patribus haurire feliciter datum est nobis.

Advertendum præterea non tot servatas antiquitùs fuisse regulas legesque, quot nunc in scribendi dicendique modo servantur. Sæpissimè enim præclari aliunde viri, Sancti Ecclesiæ Patres, Patrum familias munia sollicitè obeuntes, prout postulabat necessitas, subditos sibi Populos de pluribus necessariis quidem, & congruis; sed disparatis, docere, familiari simplicitate, solebant; quorum etsi admirabilis, non nobis tamen semper esse debet simplicitas imitabilis. Non statim idcircò, ex aperto Patris alicujus volumine, omnia indiscriminatim assumenda sunt, quæ occurrunt; sed perpensis omnibus, à Lectione & consideratione abstinendum non est, donec quæ tibi prodesse possunt, prudenter elegeris.

Quæst. 3ª. *Quotuplici modo SS. Patrum Auctoritate uti potest Concionator?*

DUPLICI autem modo ad usum reduci solet SS. Patrum Auctoritas; quorum prior usitatus & facilis; posterior verò difficilis, & paucorum est.

§. 1. *Primus Modus.*

PRIORI Modo quidem, cùm aliqui usurpantur sensus paucis verbis conclusi, propriisque locis adaptantur, prout vulgò fit, fierique debet; ex his enim sæpè sæpiùs exiguus dùmtaxat sensus ad rem facit, & colligi potest: ubi advertendum velim primùm, plures Textus ex SS. Patribus depromptos, quasi discurrere per scripta, & linguas, non secùs ac nummi, quorum adinstar, alterationibus, corrosionibusque ac incisionibus cùm sint obnoxii; vix sua tandem in ipsis reperitur imago primaria, & inscriptio. Ab aliquibus enim verbum unum ommittitur: ab aliis immutatur: nec rarò ipsiusmet Patris nomen immutari contingit; ex quo patet quàm parva sit adhibenda fides Sylvis, & Repertoriis. (*c*) Advertendum insuper non rarò contingere ut alius sit sensus verborum à contextu sermonis disjunctorum; alius verò simul & continuatè junctorum; quò fit ut aliud dicant Patres in sermonibus suis, aliud Oratores, à quibus adhibentur: & idem interdùm in S. Scripturæ Textibus contingit. Fontes addire, propriisque Textus integros oculis legere in originalibus, labor quidem est non levis; hunc tamen si te pigeat aggredi, de collectoris qualitate saltem non pigeat inquirere, ne ducem cæcum inconsultò sequens, in foveam cadas.

§. 2. *Secundus Modus.*

POSTERIOR verò Modus utendi SS. Patrum Actoritate iste est: ipsorum nempè scripta pænitùs effodere, Doctrinam scrutari, argumenta, rationesque sedulò investigare. Tutissima est ac perutilis, at simul laboriosa via; cui diuturnum necessarium est studium, in-

(*c*) Sylva & Repertoria, sunt collectiones, à quibusdam factæ, ex variis Textibus, ordinatè dispositus, ad specialia argumenta inservientibus.

geniique acies haud exigua; ut singulis aptè, plenèque enucleatis, quod intendit congruè possit quis colligere. Viam hanc si in conficiendis Sermonibus Sacris, calcaveris: uno profectò anno solitum Concionum tuarum numerum complere nequaquam poteris. In hoc autem modo servando, duplex pariter potest methodus adhiberi: quarum altera est, prolixiores Patris alicujus Textûs non interruptos, in vernaculum idioma translatos, Concionum argumentis congruentes adhibere, servato genuino illorum sensu: altera verò, quæ melior quidem, sed difficilior, est optimos quosque Textûs passim dispersos colligere, connectere, novoque lumine illustratos, novisque rationum argumentis fultos proferre. Quam quidem methodum creberrimè adhibuerunt *Bourdaloüe & La Boissiere.*

QUÆSTIO II.

QUID CIRCA SCRIPTORES ECCLESIASTICOS?

Quæst. 1ª. *Quis dicendus sit Prophanus Scriptor, vel non?*

CAVENDUM velim, nè quod reipsâ Prophanum non est, Prophanum dicas; Prophanum enim illud tantummodo est, quod à Scriptore desumitur, qui aut extrà veram Religionem fuit; aut qui in veræ Religionis gremio de ipsâ, aut ad ipsam pertinentibus non ex professo tractavit. Hinc qui, aut Sanctorum gesta, virtutesque narravere; aut Dei super naturam operationes, sivè gratiæ, sivè pœnæ, sivè prodigia retulerunt: hi profectò non Prophani, sed Ecclesiastici Scriptores habendi sunt; ipsorumque scripta inter Historias Ecclesiasticas adnumeranda. Hâc autem Ecclesiasticâ Historiâ numquid licet uti? Negant quidam, alii verò affirmant, nec immeritò; cùm etenim Deus, ad utilitatem publicam, electi Populi eventus describi jusserit in Sacris Libris; cur silentii velo condentur res memorandæ, post Evangelii Prædicationem gestæ? Aut cur Evangelizantes mirabilia tacebunt, si quæ dignatus sit Dominus, nostris temporibus operari?

Quæst. 2ª. *Quomodò de Ecclesiasticis Historiis sit judicandum?*

HISTORIIS hujusmodi, factisque, maximè recentioribus, ita quidam adversantur, ut hæc omnia tanquam falsa amandare non erubescant; in quo quidem excessum committi etsi nemo non videat, talis tamen critices delicatissimæ, Regulas refero, & sunt istæ: nihil scilicet credere, nisi quod propriis intuentur oculis: priscos Scriptores simplicitatis & credulitatis accusare, Dominiumque quod in simplicium corda habet imaginativa potentia, exaggerare: quidquid propriis contrarium est ideis, ac præjudiciis acriter, audacterque rejicere. Ex Regulis autem hujusmodi quàm indecorum nomen consequi possint, quis ignorat?

Cùm autem prudentis non sit de Historiis, juxtà suprà dictas Regulas, judicare, medium quoddam à nobis est statuendum. Non cuilibet Historiæ, (ut moris est apud rudes & illiteratos,) ex eò adhibenda est fides, quòd typis mandata legitur. Non desunt quippè Scriptores adeò creduli, ut quamlibet recuperatam valetudinem miraculo adscribant; quemlibet puerili morbum, maleficium dicant; & cujuslibet asseris crepitum, murisve saltum aëreo Dæmoni tribuant. Sed Scriptoribus doctis, sagacibus, & piis qui rem ad trutinam evocarunt, fontes rimati sunt, & circumstantias ponderavere, cur fides non adhibeatur non video: unde tanta morositas in fide adhibendâ super humanis tantum modò operibus? Numquid irreligionis spiritu aguntur hujusmodi critici? Numquid Deum, Sanctosque, & bonos malosve Angelos arbitrantur in perpetuâ inactione quoad externas humanarum rerum vicissitudines oscitabundos jacere?

QUÒCIRCA gravis profectò delicti reus nequaquam esset Orator, qui factum aliquod argumento suo congruens referret ex probatâ Historiâ Ecclesiasticâ; nec apparet unde id sit rationabiliter prohibitum, maximè si quis ex SS. Patribus Testem se de facti veritate exhibeat; aut Romanæ Ecclesiæ examine, & judicio probatum fuerit.

C

Quæst. 3ª. *Quomodò Historicis Scriptoribus utendum sit?*

IN hâc tamen eruditionis specie parcus sit Orator, nisi magnam speraret ex particulari eventu utilitatem. In familiaribus quidem, domesticisque sermonibus absque contradictione excipitur hujusmodi eruditio, & non absque fructu disseminatur; in Concionibus autem fidelium multitudini factis, absimilis est exitus; magis enim placent ornamenta Divina, Doctrinæ videlicèt, & facta ex Scripturis Sacris deprompta: & ex SS. Patrum sententiis, considerationibusque collecta. Horum itaque vestigia, servatâ hujusmodi œconomiâ, premet Orator: currentiumque temporum inclinationi parebit.

Si quis autem in generalibus formulis mente recolat modum à Deo in Hominum virtutibus remunerandis etiam temporaliter, vitiisque puniendis servatum: si quis antiquas Ecclesiæ vicissitudines, moresque ac ordinationes indigitet: si quis Paganorum moralem conferat cùm Evangelicâ: si quis ea, quæ docet fides, cùm iis, quæ humana ratio invenit, ad consensionis, vel dissensionis indicium comparet: si quis denique Gentilium, simul & Christianorum virtutes recenseat, ut & istarum firmitas, & illarum demonstretur vanitas: & Christianorum vitia, ex Paganorum virtutibus, reprehendatur: à nemine profectò, nisi ab irrationabiliter arguente improbari poterit.

Quæst. 4ª. *Quomodò utendum sit Eruditione Sacrâ, & Historiâ?*

AD rem utique semper facit Eruditio Sacra: sed cujusdam recordor Concionatoris, cujus ab ore prodibant omnes antiqui Canones, Hæreses omnes, & momenta, quibus expugnantur; ritûs & cæremoniæ, factaque in S. Scripturis narrata. Præstantem hunc virum non diffiteor; sed numquid præstanti judicio, ingenioque dicam? Numquid enim Conciones Sacræ Historiæ sunt, aut Dissertationes Theologicæ? Non in hoc utique Oratoris consistit Eruditio, sed in eorum prudenti electione, ex quorum vi & efficacia, Christiano-

rum Auditorum utilitas, & fructus aliquis percipi potest: quibus, seclusâ rationabili causâ, fidei controversiæ, Quæstionesque proponi nequàquam debent. Nec Populi ingenio congruum videtur. Scripturæ Sacræ facta tantùm transeunter commemorare, quasi hæc jam ipsi sint notissima, cùm hæc plerumque prorsùs ignoret: Numquid igitur, ubi Concionatoris fini minima tantùm facti alicujus pars inservit, illud integrum, prolixèque debet referri? Non debet profectò; imò & à nimiâ præcisione, & à prolixiori narratione cavendum; sed iis præmissis, quæ Auditoribus nota esse decet: statim circumstantiis, considerationibusque, quibus ad propositum suum efficaciter perducitur, enucleandis sedulò incombat Orator.

Quæst. 5ª. *Quænam sint vitanda in modis facta exponendi?*

TOT, tamque varii sunt modi, quibus exempla, seu facta exponi possunt & enucleari; ut singulos referre volenti diuturnior labor incumberet: ex iis tamen ultimum locum habet prolixior eorum narratio, maximè ubi ad propositum leviter tantùm inserviunt. Populo equidem scio jucundam esse narrationem, sed jucundiùs, utiliùsque ei erit; si in narrandis factis, Ciceronis vestigia premas, vel D. Augustini, qui in sermone ad Monachos suos à *Bourdaloüe* relato, non unicum, sed plura refert exempla, & quidem vario, eleganti, adeòque efficaci modo, ut ex narratione, & ratiociniis, regulisque, ac affectibus veluti unum corpus efficiatur, unaque Concio vivax, splendida, verèque Oratoria, alioqui non inter Concionatores, sed inter Historiographos eris nec immeritò computandus.

In duo autem vitiosa prolabi extrema, quidam solent Oratores: alii Textibus, Auctoritatibus, Ratiociniisque Conciones suas ita infarciunt, quantumvis ordinatè congruèque adhibitis, ut Auditoribus suis onus, jugumque ingerant intolerabile: quantò magis, si indistinctè, confusèque, velut testea fragmenta congregentur! Numquam placebit hìc Conciones conficiendi modus; maximè, si in Concionibus coram ignarâ Plebe habendis, innumeri propè

ſive S. Scripturæ, ſive SS. Patrum textus congerantur in idioma vernaculum non converſi: quod quicumque præſtiterit, inter eos meritò adnumerabitur, quibus placet pugnare contrà abſentem hoſtem, & ingentia caſtra ſoli poſſidere: ipſi enim plerùmque in Templis Auditoribus vacuis concionandum erit. Sunt & alii è contrà, quibus placet verba nuda, & quidem aptè, vel ineptè conjuncta, cum ſtrepitu magno recitare, ex quorum congerie nihil colligi poteſt, quo argumentum & intentum probatum appareat. Non illos tamen dico arguendos eſſe, qui cùm non plura habeant in promptu, ſingula tamen ità adaptant, & diſponunt, ut, & vim perſuadendi habeant, & delectandi. Attendendum itaque non quanta, ſed quo modo adhibeantur argumenta, & probationes: & hoc Plebi, & Populo dico non fore injucundum, dummodò nihil ommittatur, ex iis, quæ ad argumenti ſubſtantiam attinent. Nec minori tamen, immò majori laude dignus plerùmque eſt, qui prudenter eligit dicenda, quàm qui eleganter dicit.

ARTICULUS TERTIUS.

DE AUCTORITATE PROPHANA.

PROBLEMA nunc lubet proponere: „ *An ſcilicet Concionibus Sacris congruant, vel non, ſententia, dicta, vel facta ex Prophanis Scriptoribus deprompta.* " Circà cujus ſolutionem non parùm eſt laborandum; acris enim pugna eſt, nec levia in utramque partem vibrantur rationum jacula. Quæſtionem hanc igitur opere pretium eſt, eâ, quâ par eſt, prolixitate, ac ſedulitate exagitare, rationibusque pro utrâque parte propoſitis, quid ſentiam & ego patefacere.

Quæſt. 1ª. *Cur hâc Auctoritate uti congruum ſit?*

RATIONES itaque pro affirmativâ ſunt: quòd Prophanorum Auctoritati propria ineſt, etſi minor vis, propriumque pondus ad perſuadendum; quod apud

ipsos nonnullæ reperiuntur sententiæ gravissimæ, cogitationes concinnæ, & facta quædam Populo præsertim, rudique Plebi edocendis eò opportuniora; quòd ipsis factorum scripturalium vilescit venustas, propter horum usum vetustum & quotidianum; vicissitudines prætereà, eventusque temporibus nostris propinquiores validiùs imaginativam pulsant, utpotè junctis circumstantiis, quibus activiores, majorisque commotionis capaces arduum est invenire. Et reverà Historiolæ quædam ità memoriæ insiguntur, ut plurimorum annorum lapsu vix deleantur. Quin imò non pauci sunt ex SS. Patribus, qui Homeri, Platonis, aliorumque Paganorum Scriptorum, ac Sapientium Anctoritate usi sunt. Imò, ut de aliis sileam, S. Hieronimus Epistolâ ad illustrem Romanum Oratorem, pro omnibus loquitur, affirmans tali usos fuisse Auctoritate, sic ait: „ Qui omnes in tantùm, Philoso-„ phorum Doctrinis, atque sententiis suos refarciunt „ Libros; ut nescias quid in illis primùm admirari de-„ beas, eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum. “ Nè quis autem putet illos hoc tunc tantummodò fecisse, cùm de expugnandis, impugnandisve Gentilibus ageretur, subdit invaluisse talem usum apud eos, etiam in Libris ad Ethnicos non spectantibus: „ Quin omnes, inquit, „ penè omnium Libri, iis exceptis, qui cum Epicuro „ Litteras non didicerunt, eruditione, doctrinâque „ plenissimi sunt. “

Quæst. 2ª. *Cur Auctoritate Prophanâ uti congruum non sit?*

Rationes pro negativâ.

QUÆ autem in contrarium adduci solent rationes, sunt: quia parva imprimis hinc prodit utilitas, & nulla omninò, si cum Sacrâ Doctrinâ comparetur. Esto autem posset quis indè fructus percipi, at indecens est omninò, & rudes in errorem inducere potest hujusmodi Sacri Prophanique commixtio. Numquid autem exhausti sunt Sacrorum Librorum fontes, Patrumve scripta, ut ad fontes Prophanos recurrendum sit, pro inveniendis dictis, factis, argumentisque ad Oratoris finem aptissimis? Maximè cùm in hujusmodi Historiis veritas plerùmque desideretur. Quantùm ad sententias, & ideas Prophanorum Scripto-

rum, has potest profectò quasi è proprio fonte haustas adhibere, prætermisso Prophani Authoris nomine. Nec moveri quisquam debet SS. Patrum exemplo: qui, cùm sibi decertandum esset cum Gentilibus, Apostolum imitati sunt, qui illos ipsâmet Ethnicorum Philosophorum Auctoritate, tanquam propriis ipsorum armis & aggrediebatur, & confundebat. Nec obstat ultima S. Hieronimi Propositio, ibi enim quod Conciones Sacras aut decet aut non, definire nequaquam intendit; sed sermonem ad illorum refellendam sententiam dirigit, qui à quolibet de Religione Tractatu omnem prorsùs eliminabant Prophanam Eruditionem. Quod si absolutè aliter senserit S. Hieronimus, huic tum S. Basilii, tum Bedæ, tum Hugonis, & aliorum Auctoritatem opponimus, qui Sacro-Prophanam hanc mixtionem eodem configunt vulnere, quo usum iniquæ mulieris, quæ, ut ornatissima appareat, ab Ægypto indecentia sibi comparat ornamenta, juxtà illud Proverbiorum: *Lectulum meum stravi tapetibus pictis ex Ægypto.* C. 7. v. 16. Observentur proindè Homiliæ & Sermones ad Populum fidelem supradicti S. Basilii, SS. Gregorii Nazianzeni, Chrisostomi, Augustini, Leonis, aliorumque multorum, nihil enim in illis reperitur, quod profanitatem redoleat: nihil imò ex Oraculis Sacris non depromptum.

Ut quæ mea sit opinio pateat, dico: non statim quasi læthalis culpæ reum habendum esse Concionatorem, alioqui celebrem, qui profanum aliquod in Oratione Sacrâ factum permiscet. Reprensione autem dignum eum esse, qui Sacrum Sermonem profanorum dictorum, aut eventuum crebrâ interpositione contexit. Ineptum mihi siquidem videtur tam variis vermiculatam rebus Sacram Concionem componere.

CAPUT SECUNDUM.

DE SCITU NECESSARIIS CIRCA DOCTRINAM.

Quæst. 1ª. *An necessaria sit Doctrina in Concione?*

Ex Libris, observationibusque sapientum Doctrinam necessariò colligendam esse nemo nescit, & hæc Populo placet. Quinimò nativa cuique inest intellectui

cupiditas nova semper discendi. Cuilibet jucundum est, ubi id postulat necessitas, quod non dùm sciebat addiscere: quod verò sibi obscurum & quasi involutum erat, clarè distinctèque intellectu capere. Distinguantur itaque ea, quæ fidei objecta sunt, ab iis quæ non sunt: quæ à Doctoribus communi sensu admittuntur, ab iis quæ ex quorumdam opinione habentur: quæ præcepti vim habent, ab iis quæ solummodò consilii. An gravis sit, vel levis obligatio præcepti præmoneat Orator. Nec ideas sibi proprias, somnia, aut deliria sua, tanquam indubitatas veritates exhibeat: nec ità ejus mens caliget præ Eloquentiæ ardore & impetu; ut in formulas minùs rectas lingua erumpat: undè offendicula orirentur profectò & errores.

Quæst. 2ª. *An congruant Concioni Controversiæ Scholasticæ?*

QUÆRENTI *an liceat Oratori Sacro, merè Scholasticas proponere, ac discutere Quæstiones;* Respondeo non licere nisi volenti, relictâ Dei causâ, (quod absit) impertinentia tractare. In Scholasticis circulis Quæstiones proponat cathedraticas juraque sua quisque in iis defendat: à pulpito autem concionali prorsùs sunt eliminandæ: tum quia Populi plerùmque captum exuperant: tum quia in se invicem adversæ partes incenduntur, distractionesque, ac detractiones non raró aut gignuntur, aut foventur & augentur: cùmque à dicteriis, & conviciis in adversarios, difficile sit abstinere; salutis pulpitum in cathedram pestilentiæ plerùmque converteretur. Non prohibentur tamen utiles quædam simul, & jucundæ Doctrinæ; quibus & exhilaratur mens, & docetur, & medium ad rei propositæ intelligentiam suppeditatur: dummodò tamen, & id brevi præstes, & ità discutias; ut obscuritatis tenebris Populi mens nullatenùs obnubiletur. Caveas igitur à semi-doctis quibusdam, qui tenuem, quâ pollent, Eruditionem Doctrinamque, aptè vel ineptè, velis nobis, in medium proferunt, optimisque silentio prætermissis, plurima inutilia simul & injucunda permiscent; ut indè docti habeantur. Nec in iis tantummodò, quæ Theologiæ sunt: hâc ineptâ la-

borant

borant docendi prurigine; verùm etiam in iis quæ ad Phiſicam, vel Mechanicam ſpectant. Non rarò tamen Oratores hujusmodi ſcientiarum, de quibus loquuntur, vix primam corticem attigerunt: vel, ut veriùs dicam, & ſcientias omnes, & ipſammet Oratoriam prorſùs ignorant.

Quæſt. 3ª. *An congruant ſubtilitates, & acutè excogitata?*

NEC ſilentio prætermittendum velim importunum prorsùs, & inutilem, imò & moleſtum eſſe illorum laborem, qui in Concionibus ſuis & ſubtilitates adhibere nituntur Metaphiſicas, & Theologica Arcana; quæ à Doctis tantùm Philoſophis, & Theologis intelligi poſſunt. Hoc tamen vitio non pauci laborant, qui Aquilarum more, ad alta & excelſa contendentes, ſimplices, communesque cogitandi, loquendive formulas ſuperbè deſpiciunt, & adhibere dedignantur; ut plurimos intertexant Scholæ terminos, quibus obſtrepunt, & clamitant. Sed quid indè niſi Audientium fuga, qui tam excelſarum ſpeculationum ſe indignos ſolent judicare.

Cogitata itidem, quæ *acuta* inſcribi ſolent, non largè & liberaliter ſunt adhibenda; non quòd ab eis prorsùs abſtinere debeat Orator: cùm ſint humanæ mentis exquiſitum quoddam pabulum; ſed parcè omninò his uti debet. Niſi fortè tanto polleat ingenio, ut alta complanare poſſit, aſpera lævigare, & illuſtrare quæ obſcura ſunt, & ſubtilia; ſed, quàm pauci ſint tantæ eruditionis viri, quis neſcit? Alii autem obſcuri non minùs, & implexi, quàm acuti ingenii Oratores ſunt; quorum tanta eſt in dicendo ſubtilitas, ut ſophiſmatibus potiùs implicare, quàm rationibus mentes paſcere videantur: quos animadvertes ſemper in cogitando abſtruſos, in inveniendo ſublimes, confuſos & perturbatos in ordinando, & in dicendo obſcuros: & quid eſt hoc injucundiùs? Quid putidius? Quid puerilibus? Sed quod & lugendum magis, dum intellectum aureſque titillare contendunt, cor exſiccant Audientium.

CAPUT TERTIUM.

DE SCITU NECESSARIIS CIRCA RATIOCINIUM.

QUÆSTIO PRIMA.

QUID observandum circa Rationes adhibendas?

Quæst. 1ª. *An & quomodò sit Rationibus utendum?*

OPTIME suo ille utetur Orator ingenio, qui rectæ & congruæ Rationum ordinationi sedulò incumbit; hæc enim adeò est Oratori Sacro necessaria; ut ipsiusmet Auctoritatis Divinæ uberiores sint fructus in Audientium cordibus; cum eam Ratiocinium comitatur, quàm cum sola adhibetur. Ubi advertere Orator debet pro congruo Rationum usu, nullam esse harum vim ac robur: nisi in iis adhibendis attendatur potissimùm harum validitas, conjunctio & perspicuitas. Nec ad hoc prolixâ sillogismorum serie opus est. Qui tamen ratiocinandi, idest Rationes modo Oratorio adhibendi, artem non satis callet, non imprudenter aget, si, sublatis quibuscumque inanibus verbis, formam adhibuerit sillogisticam.

Quæst. 2ª. *An, & quomodò Objectiones sint adibendæ?*

RATIONIBUS autem sua inerit vis, suumque robur omne, si adversantium dissolvantur Objectiones. Nec illorum est Oratorum vestigiis inhærendum, qui centum Objectionum, quasi aciem, scholastico modo, ordineque promebant: possunt enim pleræque ita prævideri, & præcaveri, ut prius solvantur, quàm proponantur: medianteque aliquo loquendi modo, aliquâve distinctione, aut limitatione, tota sæpè obtunditur Objectionum vis; aut si nova orta fuerit, in ipsomet ortu suo rescinditur.

SI gravis adeò sit difficultas, ut Audientium mentes, aut à veritate retrahat, aut reddat ancipites, talis debet proponi, qualis ab Auditoribus apprehenditur; imò si

fieri possit, major quàm ab ipsis apprehenditur: tunc enim & lætantur qui hanc audiunt, quasi ipsimet proponerent, & anxii ac cupidi responsum præstolantur. Quosdam reperies, qui, contrariâ patefactâ difficultate, ad alia transeunt: quasi sic prior sit soluta ac protrita: imò triumphum clamorosè canunt, quasi ad sic canendum, difficultatem hanc satis sit indicasse. Et hi quàm imprudentes se exhibeant, nemo non videt; cùm sic veneno detecto, antidotum non adhibeant. Contraria igitur argumenta, vel non proponantur, vel proposita solvantur. Cavendum insuper ne Objectionis solutio sit ipsâ Objectione implicatior, quamquàm aliundè solida validaque sit: ità perspicuè igitur, distinctèque solvatur, ut ab omnibus statim intelligatur.

Sed & ridendi profectò videntur, qui totâ mentis acie incumbunt in Objectionibus inveniendis, non tantùm novis, sed etiam abstractis, ac metaphisicis: & hoc quid est aliud: nisi contrà umbras & chimæras scuto & armis pugnare: adinstar militis cujusdam, qui nocte quâdam hospitans, & de repentè expergefactus ad asseris cujusdam crepitum, arma è lecto pendentia apprehendit; & hùc illùc cæco modo discurrens, tùm ense, tùm catapultâ crebros undequaque ictus vibravit: cùmque hostes omnes prostratos putaret, admoto lumine, vidit se & in aëra pugnasse, nec alium esse pugnæ suæ exitum præter scamni, armariique fracturam, vestiumque, & culcitrarum transfixionem.

Cùm autem difficile simul & periculosum sit, (prout infrà dicemus,) inusitata proponere in Concionibus; consequens est sistendum esse in propositionibus usitatis, & communibus; ita sentit Flaccus, in suâ arte Poëticâ, affirmans sanius esse consilium, jam dicta sano modo repetere, quàm res intactas velle tractare: circa quod Homeri affert exemplum, qui à communibus maluit incipere, & ad solida opus deducere, sicque è fumo fulgorem potiùs, quàm è fulgore fumum elicere. Facile equidem est nova & plura polliceri; sed promissa adimplere, hoc opus hic labor est. Et hoc iis tamen accidit, qui facta in exordio promissione amplissimâ non secùs ac morosi solutores, in puerilia tandem, violenta,

& sæpè falsa prorumpunt. Dicat igitur Orator novè, novo scilicet lumine, & ordine, novisque figuris & Auctoritatibus, novo vigore, coloribusque adhibitis; sed non nova dicat, nisi severi virgæ censoris submissa, quæ absque periculo, & offensione depromere potest.

QUÆSTIO II.

Quænam vitanda sint circa Ratiocinium?

QUINQUE sunt potissimùm à quibus cavere debes circa Ratiocinium; scilicet artificia, novitates, duo extrema, falsum Ratiociocinium, causæ ejus. De his igitur totidem Paragraphis ut sigillatim dicamus, sit,

Quæst. 1ª. *A quibusnam Artificiis abstinendum sit?*

ADVERTE diligenter quæ hic trado de Artificio, quo, ad conciliandos sibi Auditorum animos utuntur nonnulli. Suscepti scilicèt argumenti difficultatem exaggerant: proprii ingenii, Doctrinæque penuriam accusant: Audientium sapientiam, acumenque formidare se dicunt: aliisque id genus rancidis utuntur formulis, quibus uti per sæpè solent ipsimet adolescentuli, ut postulata consequantur, & quas cuique etsi mediocris sagacitatis haud difficile est percipere. At, inquies, non ne tali artificio usum fuisse Ciceronem constat? Usus est utique; sed non ex his profectò ineptiis, celebris Oratoris nomen est adeptus. Aliorum alia sunt artificia: dicunt scilicèt se in lacrymas penitùs resolvi, aut quasi animi deliquium pati, & languescere, sanguinem sibi in glaciem concrescere, aut cor avelli: nec in his minor ineptia eorum est; esto enim commovere Auditores non possit Orator, nisi commotus: nec id tamen usquam fictione assequetur; nec ab Auditoribus, fictione detectâ, sperare quidquam potest, præter risum & jocos, nisi fortè à stupidis.

Quæst. 2ª. *Cur à Novitate abistnendum?*

INTER Oratoris artificia non ultimum locum obtinet Novitas, vel potiùs apparentia Novitatis. Frustrà

enim ſe in Concionibus conficiendis inſudaſſe arbitrantur complures, ſi nihil in iis reperiatur novi & inuſitati: quâ quidem Novitatum libidine ità abripiuntur, ut vana pro ſolidis, pro gravibus levia, ridiculaque pro ſeriis, magno labore plerùmque adhibere non erubeſcant. Atque hinc non rarò contingit, ut adinventi Novitate, dum aures titillare geſtiunt, ommiſſis ſubſtantialibus & fructuoſis, à veritate ſoleant animos avertere. Quod autem lugendum magis; hinc oritur imprudens quarumdam jam obſoletarum exhumatio opinionum; quas abſque reſtrictione, & explicatione recoquunt. Et quò magis à veri ſimilitudine diſtant quæ dicunt, eò magis ſibi plaudunt, & congratulantur vani Oratores, quos inter nonnulli interdùm reperiuntur qui res antiquas, nomine novo inſignitas, tanquam pretioſas merces ab Américâ recenter deductas venditant.

Quæſt. 3ª. *A quibus extremis in Ratiocinio cavendum?*

OPTIMUM quidem medium ad perſuadendum habes in Ratiocinio, ſi ità eo uſus fueris; ut nihil dicas in Concione, quod cum antecedentibus, & conſequentibus relationem aliquam & connexionem non habeat: ſed duo vitanda habes extrema: unum eſt eorum vitium, qui ità Ratiocinia inter ſe connectunt & conſtringunt, ut continuâ animi attentione Auditoribus opus ſit: quam ſi quis non adhibuerit, minimâ diſtractione ſuperveniente, jam ad primum Concionis contextum, redire Auditor non poſſit. Alterum eorum eſt, qui nimium ratiocinandi deſiderium exhibent. Sic itaque ratiocinandum eſt in Concione, 1°. ut quæ actu audiuntur ab adſtantibus, optimè ab ipſis intelligantur independenter ab iis, quæ non audierunt, vel adquæ non attenderunt diſtractione abrepti: 2°. Ut, totâ, in intellectu remanente formâ ſillogiſticâ, conceptum modo Philoſophico Ratiocinium, modo Oratorio, ore & ſcripto proferre coneris; Concionis enim quaſi oſſa & nervi ſunt Ratiocinia: quæ niſi pelle & ſpecioſâ cute induantur, ab eis velut ab inani, & nudâ crate oſſariâ quiſque abhorret.

Quæst. 4ª. *Cur à falso Ratiocinio abstinendum?*

CAVENDUM pariter ab iis Ratiociniis, quæ falsa, id est non recta vocantur. Hujusmodi sunt rationes quædam, quæ rectæ consequentiæ fundamentum esse videntur, & non sunt, & quæ, si apprimè perpendantur, aut Thesim non probant, aut fortè ipsam evertunt: &, si, primâ fronte, in ipsis quædam rectitudinis species apparuerit; hæc à quovis percipi, & animadverti nequaquam potest: ex quibus denique nihil concludet Auditor; imò, si aliquali ingenii sagacitate polleat, probationes hujusmodi contemnet, putans, aut ignarum esse Concionatorem tam ineptè ratiocinantem, aut eum suos velle falsis Ratiociniis Auditores decipere.

Quæst. 5ª. *Quænam sit causa falsi Ratiocinii, & ejus remedium?*

FALSORUM autem hujusmodi Ratiociniorum prima, præcipua, imò & unica causa est Concionatorum inordinata quædam libido Conciones suas illustrandi, præclarissimisque sententiis exornandi. Hinc ex collectis S. Scripturæ & SS. Patrum sententiis continuas faciunt allusiones, comparationes, comptasque translationes: scrutantur tum Sacras & Prophanas Historias, tum Astrologiam, tum fabulosas Poëtarum Narrationes, Mithologiam, & alias hujusmodi scientias & artes: ut ex hoc appareant infinitos propè modum evolvisse Libros: ex quibus tam ineptas deducunt conclusiones, utpotè pugnantes cum antecedentibus, & ipsis parùm conformes. Horum specialior causa sunt Metaphoræ à SS. Patribus passim adhibitæ, quas in sensu litterali interpretantur Concionatores nonnulli. Quibus adde præclara & luxuriantia vocabula quædam à non paucis Concionatoribus sæpiùs usurpata, V. G. *Victima*, *Sacrificium*, *Triumphus*, *Victoria*, *Corona*, *Bello-parta*, *Thronus*, *Sceptrum*: & his similes terminos adde, magnificos quidem, & os replentes; sed non mentem. Adde & nonnullas propositiones, quæ morales videntur, imò sunt reverà quoad sensum, sed ratione emphasis, omninò sunt steriles, quales sunt sequentes: „ *Nos transfigurari*

Metaphoræ.

„ *oportet cum Christo : desideria nostra debemus circumci-*
„ *dere : oportet nos mori mundo : peccatum debemus crucifi-*
„ *gere. Conversare debemus in Cœlis, &c.* " Verissimæ equidem sunt omnes hæ propositiones, sed nisi has statim explicaveris, vel si his frequentiùs usus fueris, non satis intelligent Auditores quid dicas, & ratione æquivocationis, falsa erunt Ratiocinia quæ his nituntur. Semidoctorum Concionatorum est veritatem abstrusis verbis involvere, vel potiùs fucatis coloribus ità induere, ut agnitu sit Audientibus difficillima: optimi verò Concionatores hanc pro viribus enucleant, utpotè per se ipsam amabilem: Metaphoras igitur sobriè adhibebis; cùm his utendum esse ipsimet Oratores Prophani, & Pagani moneant; non ludendi, sed docendi causâ: non ùt venustior & jucundior; sed ut intelligibilior, & perspicacior indè fiat Oratio.

Quod autem de Metaphorâ, hoc à fortiori de Allegoriâ dico, quæ continuata Metaphora dicitur: his fateor plenas esse Scripturas Sacras; imò Vetus Testamentum totum esse Allegoriam asserit D. Paulus de duobus Abrahæ Filiis loquens: „ *Quæ sunt*, inquit; „ *per Allegoriam dicta, hæc autem sunt duo Testamenta*: " Scio & in hoc sensu allegorico à plerisque SS. Patribus explicatas fuisse Scripturas Sacras, sed à Divo Hieronimo pariter scio dictum de Allegoriis hujusmodi fuisse: „ *Pius quidem sensus*, inquit, *sed numquam Parabola*, „ *& dubia ænigmatum intelligentia potest ad Auctoritatem* „ *dogmatum proficere.* " Elucet Oratoris eruditio, & ingenii acies in continuatis hisce Metaphoris: nisi tamen has disertè & scientificè prosequatur, obscura plerùmque Concio erit, nec quidquam ex his concludet: aut saltèm nihil rectum. Harum facilis est abusus; utilitas verò ad instruendos Auditores minima. His imò nusquam moventur docti Auditores; nec has intelligunt Concionis venustates ii, qui rudioris sunt ingenii. Has adinvenisse gloriatur juvenis Concionator, quasi de novi sublimiorisque sensûs inventione: inventum prosequitur in aëra verberans, & elevatus; ab oculis verò Audientium evanescit. Vel saltèm laudatur ab eis præclara inventio, nulla verò quoad mores infertur conclusio. Allegoriæ.

Has igitur non immeritò vocat D. Auguſtinus *opus quidem difficile, ſed opus puerile.* Allegorias itaque & Metaphoras non contemnendas dico, ſed his moderatè utendum,

DE RHETORICA SACRA LIBER TERTIUS.

DE MONITIS ET REGULIS circa varias Concionum ſpecies.

NON ſinè cauſâ ommittimus in Tractatu noſtro varia Orationum genera ſpeciesque à Prophanis Oratoribus fuſiùs explicatas; eò quòd de genere judiciali, & ſtrictè deliberativo curare non debeat Concionator Chriſtianus: quem enim habet propriè accuſandum, aut defendendum? Aut quid habent Auditores, præſertim Chriſtiani, circa quod ipſis dubitandum ſit? Vitium ſiquidem necaſſariò ipſis eſt fugiendum, virtusque colenda: neceſſariò declinare à malo debet, & bonum facere, quicumque vult ad vitam ingredi: & quis eſt qui dubitare poſſit utrùm vitam eliget æternam, an verò mortem? Cœlum, an gehennam? Cùm itaque in Evangelio, cujus Miniſtri ſumus, nihil ſit præter veritates, quas credere, & præcepta, quæ ſervare debet quicumque vult ſalvus eſſe: cùmque induci efficaciſſimè ad utrumque poſſint, & ſoleant per exemplum eorum qui, credendo & agendo, adepti ſunt repromiſſiones, braviumque in Cœlis accepere; tria tantummodò Concionatori Evangelico præſtanda ſuperſunt; intellectus ſcilicèt ignarus docendus eſt: voluntas corrupta, inclinanda ad bonum & avertenda à malo; Sanctique, aut imitatores eorum laudandi. Tria igitur eſſe conſtat genera, ad quæ quæcumque revocantur Concionum ſpecies à Chriſtiano Oratore fabricandæ,

Nempè *Genus instructivum*, quod docet Auditores quid credendum, circa Religionis nostræ Mysteria, ac Sacramenta. *Genus morale*, quo ad vitia fugienda, virtutesque colendas eos inducit: *Genus* tandem *exornativum*, quo Sanctorum præclara gesta ipsis exhibet imitanda. Librum tamen istum in duas tantùm Sectiones partiemur: In primâ, de scitu necessariis Concionatori Sacro circa Conciones instructivas. In secundâ, de Concionibus moralibus.

De Concionibus verò exornativis in Libro sequenti dicemus, nè iste plùs æquò augeatur.

SECTIO PRIMA.

De Concionibus instructivis.

SECTIONEM istam priùs quàm dividamus, monendum volo Concionatores Candidatos plura me sibi hîc tradere Monita generalia circa Conciones instructivas, quæ præ oculis habere pariter debent sivè morales, sivè exornativas Conciones suscepturi fabricandas. Cùm autem ad docendum nihil aptius sit, quàm Concionem susceptam rectè dividere, probationesque cuilibet parti Concionem dividenti congruentes debito ordine ità disponere, ut Auditoris intellectus cogatur ad assentiendum omnibus sibi à Concionatore propositis; hinc in Sectione istâ dicemus, 1°. de Concionis instructivæ Divisione. 2°. De partium Concionis Probationibus. 3°. De Exordio, & ipsis adjunctis. Sit itaque.

CAPUT PRIMUM.

De Concionis Divisione.

TRADITA huc usque circa Conciones in genere Monita, propriè ad Concionum materiam; quæ verò deinceps in Sectione istâ, ad harum formam spec-

pectant. Circa Concionis autem Divisionem, quæri potest, 1°. Undè sit: 2°. Quid sit: 3°. Quænam sint hujus qualitates: 4°. Undenam desumi possit in Concionibus ordinatis? 5°. Undenam desumenda sit in Homeliis? 6°. Tandem quid possit contra hujusmodi Divisiones objici: & hæc mox videnda in sequentibus Quæstionibus.

QUÆSTIO PRIMA.
Undè sit Concionis Divisio?

CIRCA Concionis formam advertendum est sagacis, studiosique Concionatoris munus fuisse semper, ità Concionis suæ argumentum distribuere; ut quid, ad finem suum consequendum dicturus sit, Auditoribus innotescat: antiquitùs tamen nulla proponi solebat partitio, sed ordinatè una post alteram sensim propositio paratæ Orationis evolvebatur. Ex quo duplex oriebatur Concionatori commodum, 1°. libertas scilicèt, quatenùs nullo circa dicenda vinculo obstrictus erat, & 2°. jucunda novitas, quatenùs Auditores juvabat inexpectata sensim audire. Temporis tamen successu invectus est usus Concionis argumentum in duas, pluresque partes dividendi; easque seorsùm posteà evolvendi ac confirmandi: quod quidem etsi quibusdam visum sit facile, non ita tamen est à parte rei. Argumentum enim acutè est perpendendum, funditùs penetrandum, & ità perspiciendum, ut de illo conceptus quidam abstrahatur totum complectens Concionis argumentum. Nec hoc præstitisse satis est; sed factâ membrorum Divisione, fibras omnes, musculos, venas & arterias, Anatomicorum more discernere oportet; & sic discreta Auditoribus breviter proponere, priusquàm debitis, ut ità dicam, carnibus, cute, & coloribus vestiatur Concio.

QUÆSTIO II.
QUID sit Concionis Divisio?

CONCIONIS Divisio est totius argumenti in præcipua sua membra apta partitio; sed exemplo Doctrina clariùs patebit. Supponamus tractandum esse de Christianæ Fidei veracitate, potest hæc ostendi per

ſanctitatem, & vim, hæc erit prima argumenti Diviſio: ſed adhuc duo neceſſaria ſunt, ſcilicèt & materiam ad ſua principia reducere, & omnem præcipuam ejus partem in ſuas ſubalternas diſpeſcere. Quomodo autem ſupradicta ſanctitas, & vis ad ſuum principium reducatur, hîc oſtendo: „ Solus Deus per eſſentiam ſanctus „ eſt; ſolus fortis & capax ad hominum corda prout „ vult inclinanda: porrò ambæ illæ qualitates in Chris- „ tianâ Fide Legeque reſplendent. Lex ſancta, & „ ſanctificans; Lex fortis, & convertens juxtà illud „ Prophetæ: " Lex Domini immaculata convertens animas; „ igitur tota à Deo, & divina, & conſequen- „ ter veraciſſima. "

Nunc ad partes ſecundarias & ſubalternas attende: „ Lex ſancta 1°. in ſuo Auctore; 2°. in ſuis principiis, „ ſeù effatis; 3°. in ſuis conſiliis; 4°. in ſuis Alumnis; „ 5°. in ſuis Myſteriis. Lex fortis, 1°. ob ſuperſtitio- „ nes ſectasque labefactandas; 2°. ob ipſius Legis qua- „ litates naturæ corruptæ contrarias; 3°. ob impugna- „ tiones, & omnis generis perſecutiones; 4°. ob na- „ turam mediorum, quibus fuit olim propagata, & etiam „ nunc propagatur. " En compago Concionis novem propoſitionibus coaleſcens, quarum ſingulæ propriam expoſitionem, & confirmationem expoſcunt. Optima exempla pro Panegyricis ſermonibus habes apud *Flechier*, *De La Tour & Maſſillon*, *&c.* Pro Moralibus verò, apud *Bourdaloüe*, *Maſſillon*, *Peruſſeau*, *La Rüe*, *&c.*

QUÆSTIO III.

QUÆNAM ſint qualitates Diviſionis?

CIRCA Diviſionem autem nonnullæ ſervandæ ſunt Regulæ: 1ª. eſt ut ſit clara, perſpicua & præciſa. Cavendum igitur nè in ejus explicatione, Figuræ adhibeantur, aut Hyperboles, aut Elegantiores modi loquendi; cavendum prætereà ne duplicem ſenſum præ ſe ferat; ità ut evidenter falſus ſit ſenſus obvius. V. G. *Deus non vult omnes homines ſalvare*, *&c.* 2ª. eſt ut integrum complectatur argumentum de quo agitur, quantùm ſaltèm fieri poteſt, ſivè ut facilius probari poſſit,

fivè ut Auditorum expectationi fatisfiat: non timendum itaque ne fimplicior videatur, dommodò fructuofa fit. Talis ergo effe debet, ut ad hujus probationes anhelet Auditor, propriæ utilitatis fpe ductus. 3ª. eft ut duplex argumentum effentialiter diverfum non complectatur; Concionis enim partes, membra effe debent unius & ejusdem corporis, non verò diverfi. 4ª. eft ut Divifionis membra fint difparata, ità ut unum in alio non includatur, & unius probatio alterius probationem non complectatur: prout fieri folet quotiescumque inter Divifionis membra, alioqui apparenter difparata, effentialis reperitur cohærentia, feu convenientia. V. G. Nihil eft amabilius quàm continentia, nihil odio dignius quàm luxuria. Probationes enim unius, alterum pariter probant: quò fit ut eadem plerùmque diverfis verbis repetere cogatur Orator. Cave infuper nè illorum veftigia premas qui, adhibito Antithefum, ut ità dicam, ftrepitu, eamdem propofitionem diverfimodè convertentes, trivialem plerùmque Divifionem, quafi magnificam & cæteris ignotam exhibent. Præclaras, equidem & fpeciofas non damno, fed optimas eas dico, Divifiones, quæ totum argumentum exhauriunt, remotâ quâlibet fivè in terminis, fivè in propofitionibus affectatione, & in quâ manifeftè patet nihil intendere Oratorem, nifi veritates propofitas Auditoribus demonftrativè probare.

QUÆSTIO IV.

UNDENAM defumi poffint Divifiones in Concionibus ordinatis?

COGNITIS rectæ Divifionis qualitatibus, nihil fupereft Oratori, nifi ut fciat varios fontes è quibus varias poffit Divifiones, pro argumentorum varietate, haurire. Septem autem potiffimùm diftinguntur, qui totidem exemplis clariùs patebunt. 1°. Scilicet ex Naturâ, feu Effentiâ Argumenti; V. G. Si attendatur quid fit mors in in fe; 1°. hanc inveniemus effe *inevitabilem: ergo ad hanc neceffariò fe quifque debet præparare.* 2°. *Eft ubique poffibilis & præfens: ergo absque morâ ad illam fe debet quisque præparare.* 3°. *Eft absque fpe rever-*

ſionis naturalis ad vitam : ergo diligentiſſimè ad illam ſe debet præparare.

2°. Ex Cauſis. V. G. *Ad ultionem de inimicis inducimur, 1°. à Naturâ; 2°. à Politicâ; 3°. à Ratione. 1°. A Naturâ quidem per paſſiones, quas excitat. Et hanc Naturam corrigit & emendat tanquam Caput noſtrum Chritus. 2°. A Politicâ per commoda : & hanc regit Chriſtus quatenùs Rex eſt noſter. 3°. A Ratione tandem depravatâ per ſpeciem æquitatis vindictæ : & hanc reformat Chriſtus tanquam Magiſter noſter.*

3°. Ex Effectibus. V. G. *Duo ſunt pravæ conſcientiæ notabiles Effectus : 1°. Impendit nè fruatur peccator bonis hujus vitæ. 2°. Omnibus alterius vitæ malis eum torquet.*

4°. Ex Proprietatibus. V. G. *Euchariſtia Sacra eſt Panis vitæ, & roboris. 1° Panis vitæ nobis datus ad nos enutriendos. 2°. Panis roboris nobis datus ad nos roborandos.*

5°. Ex Adjunctis, ſeu Circumſtantiis. V. G. *In ſolo Deo quærenda eſt Beatitudo noſtra, quia 1°. ſolus Deus cor noſtrum ſatiare poteſt. 2°. Solus Deus verè poſſideri à nobis poteſt. 3°. Solus Deus æternè poſſideri à nobis poteſt. Vel : quia 1°. in mundo nulla eſt, in Deo verò perfecta ſatietas cordis eſt. 2°. In mundo nulla, in Deo verò vera poſſeſſio, & fruitio eſt. 3°. In mundo nulla æterna, in Deo verò æterna duratio eſt.*

6°. Ex Enumeratione Partium. V. G. *Triplicis generis Chriſtiani dicunt ſe Orationi vacare non poſſe. 1°. Non pii. 2°. Indocti. 3°. Negotiis implicati. 1°. Non pii dicunt ſe ad hanc non teneri ; & his probandum eſt Orationi vacandi obligationem eſſe ſtrictiſſimi præcepti. 2°. Indocti dicunt ſe orare neſcire, & non poſſe : & his probanda eſt Orationis facilitas maxima. 3°. Negotiis implicati dicunt ſe orandi tempus non habere : & his probandum eſt, numquam deeſſe, ſed ſemper ſat temporis cuique ſupereſſe ad orandum.*

7°. Ex Similitudine & Comparatione, vel Diſſimilitudine. 1°. Ex Similitudine & Comparatione ; V. G. *Verâ Pœnitentiâ Ninivitarum damnatur falſa Pœnitentia Chriſtianorum. 2°. Gravitate & fervore Pœnitentiæ Ninivitarum, arguitur levis Pœnitentia Chriſtianorum. 3°. Diligenti & promptâ Ninivitarum Pœnitentiâ damnatur procras-*

tinatio Pœnitentiæ Christianorum. 2°. Ex Dissimilitudine: 1°. *Libertas Legis Evangelicæ opponitur servituti Legis Mundi.* 2°. *Suavitas Legis Evangelicæ, opponitur severitati Legis Mundi.* 3°. *Sanctitas Legis Evangelicæ opponitus iniquitati Legis Mundi.*

QUÆSTIO V.

UNDENAM desumenda sit Divisio in Homiliis?

HACTENUS dicta de Divisione Concionis, etsi ad eas Conciones instructivas potissimùm spectent, quæ *ordinatæ* nuncupantur; suo modo tamen iis aptari possunt, quas *Homilias* vocant: *Homilia* autem nihil aliud est, nisi modus quidam mores informandi ex clariori Evangelii expositione desumptus. Hâc methodo plurimùm usi sunt SS. Patres; & fœliciùs aliquot ab hinc retrò annis utuntur plurimi Concionatores, à quibus emendati videntur fuisse veterum Homiliarum defectus, quibus explicationis SS. Scripturæ nomen potiùs, quàm *ordinatæ Concionis* merebantur. Fit autem Homilia, cùm ex aliquâ particulari S. Scripturæ Historiâ, vel Parabolâ attentè perpensâ abstrahitur propositio quædam moralis & practica tanquàm hujus conclusio, quam suadere intendit Orator, ad quam probandam, & dilucidandam singulis ejusdem Historiæ, vel Parabolæ verbis utitur, identidem dicta, Auditorum moribus aptando, & applicando. Et hoc variis modis, quos hîc brevi recenseo.

Primus Modus Homilias conficiendi.

PRIMO Modo fit Homilia cùm, nullâ factâ propositionum Divisione, nihil intendit Orator, nisi aliquam veritatem moralem explicare per verba Evangelii assumpti, quæ per singula prosequitur, & post singula fit Auditorum moribus applicatio sensibilis & practica. Sic in Historiâ probaticæ piscinæ explicatur Pœnitentiæ Sacramentum, nempè, 1°. Materia, seu peccata explicantur per varios morbos: 2°. Gratia Contritionis, per motum aquæ: 3°. Institutio Sacramenti, per præsentiam Savatoris curare Paraliticum volentis: 4°. Libertas,

& concursus Pœnitentis per petitionem Paralitico factam an velit sanus fieri : 5°. Virtus Absolutionis, per verba Salvatoris imperantis Paralitico, ut tollat grabatum suum, ubi & Satisfactio designatur: 6°. Tandem constantia & perseverentia in gratiâ Sacramenti, per vividas & constantes responsiones à Paralitico Pharisæis factas.

Secundus Modus.

SECUNDO Modo fit Homilia, cùm Concio dividitur juxta numerum circumstantiarum, quæ in Historiâ, vel Parabolâ assumpta reperiuntur. Sic in Evangelio Samaritanæ mulieris explicantur viæ gratiæ in peccatoris conversione : scilicet 1°. Gratiæ prævenientis assistentia, per expectationem Christi juxta Fontem Jacob. 2°. Gratiæ solertia per occasionem status Samaritanæ præteritam vitam narrantis Salvatori bibere petenti. 3°. Suavitas Gratiæ, per desiderium cognoscendi, & bibendi aquam, de quâ loquitur Christus; quod quidem desiderium excitat in Samaritanâ. 4°. Gratiæ indulgentia & benignitas per responsiones Christi ad singulas interrogationes & difficultates Samaritanæ. 5°. Gratiæ vis & efficacitas, per consensum voluntatis hujus Peccatricis, quæ colloquiis Christi allecta, vadit tandem, & Messiam agnoscit, & prædicat.

Tertius Modus.

TERTIO Modo fit Homilia, cùm ex totâ Evangelii Historiâ, vel Parabolâ, efformatur Concio, & sic dividitur, ut varia ejus membra ex variis Historiæ, vel Parabolæ partibus constituantur. Sic V. G. probatur 1°. facilitas incidendi in peccatum habituale, per mortem Lazari, quæ sequitur ex levi morbo, & languore. 2°. Periculum annexum statui peccati habitualis, per putredinem & fœtorem Lazari quatriduani in sepulchro jacentis. 3°. Difficultas conversionis in peccatore habituali, per clamorem Christi Lazarum vocantis, & solvi jubentis. Per quæ tota exhauritur Lazari Historia.

Quartus Modus.

QUARTO Modo fit Homilia, cùm aliquam Doctrinam à Christo traditam in Evangelio intendit Orator explicare; & in hoc consistit vera Evangelii prædicatio; fit autem duplici Modo. 1°. Cùm, nullâ factâ, nec assignatâ Concionis Divisione, propositam Doctrinam Christi conatur Orator explicare, hujus consequentias & rationes demonstrare, principia proponere & statuere, singula Christi verba dilucidè enucleare. V. G. In Evangelio, ubi Christus dicit neminem posse duobus Dominis servire, ibi plures reperiuntur rationes, variaque argumenta, quibus inducit nos Christus ad soli Deo, non verò mundo serviendum.

ALIO Modo fit Homilia, cùm ex Evangelio rectè perpenso, abstrahit Orator præcipuam propositionem, quam dividit juxtà idem Evangelium, & membra dividentia probat ex eodem Evangelii loco, quantùm fieri potest, & hæc ultima species Homiliæ optima est.

PRO Articuli hujus de Divisione Concionis coronide monendum velim Concionatorem, Modum efficacissimum & maximè naturalem eum esse, quo Concionis Divisio deducitur ex aliquo Theologiæ præclaro principio, aut ex morali Theologiâ, aut ex Scripturâ Sacrâ cujus quidem principii, quasi partes essentiales, aut consequentia necessaria videantur esse membra dividentia. Si verò, ut non numquam contingit, jam habeas Divisionem Concionis; tunc quærendum est principium, non tamen de longinquo adducendum. Quod autem de primâ Concionis Divisione generali in duas, vel tres propositiones dicitur, intelligendum est pariter de subdivisionibus.

QUÆSTIO VI.

QUID objici possit contra Divisiones supra explicatas?

„ FATEOR, inquies forsan, Concionator Candi-
„ date, fateor eum proculdubiò, præclaro inge-
„ nio, Doctrinâque præditum habendum esse, cui da-
„ tum est Concionem instructivam rectè componere,
„ sed non omnibus datum hoc fuisse, quis nescit? Ut

„ possit tum ordo, tum connexio in Concionibus servanda, & disci, & memoriâ retineri: coram solis doctis concionandum esset; quod tamen supra ab initio dictum est, à Sacri Oratoris munere prorsùs alienum esse. Plures etiam studii aliundè avidi, & laboris, Sacras fugient Conciones: pauci erunt Auditores, & ex tam improbo labore, aut nullum, aut minimum fructum percipiet Orator; qui uberrimos proculdubiò percepisset communiorem viam calcans, Auditoribusque demonstrans, in formâ Concionum suarum.

„ Quod si fortè quosdam contigerit inveniri, quique se probaturos, in Concionis Divisione promiserunt, reverà probant: at quanto plures erunt qui non stabunt promissis. Hinc sapientum censura; hinc & Auditorum deceptorum quærimoniæ. Nihil dico de jacturâ temporis ex parte Concionatoris, in inveniendis, disponendisque argumentis, quæ alioqui liberiùs, faciliùsque diceret, nisi determinatum propositionum numerum, ordinemque statim Auditoribus assignasset: à quibus tamen recedens, sivè Doctrinæ, sivè ingenii, aut temporis defectu, in frivola plerùmque prorumpit.

Sed in promptu est mihi ad hæc responsio. Concionis partium ordinatam partitionem suas non diffiteor pati difficultates, suaque incommoda, sed hæc, si volueris vitare; 1°. Caveas ne Auditorum tuorum mentem, aut rerum opprimas multitudine, aut sublimitate percellas. Advertendum enim tibi est te vulgares potiùs, quàm Doctrinâ præditos Auditores habere, Verbi Divini pabulo pascendos; ideòque à nimiùm Theologicis, & ad Scholam potiùs, quàm pulpitum spectantibus, prorsùs esse abstinendum. 2°. A siccitate in dicendo declina; hoc est à gracilibus quibusdam loquendi formulis, quibus Auditores non pascuntur, sed fatigantur. 3°. Attende nè præcipuo Concionatoris officio debitum tempus detrahas; debes enim quæ gravis sunt momenti ità Auditoribus imprimere, & inculcare; ut ex ipsis fructum percipere possit. 4°. Non cujuscumque Concionatoris exempla sequaris, nisi fortè iisdem in circumstantiis, & ad

consimiles Auditores, sis Concionem habiturus. Quæ enim uni, V. G. *Bourdaloüe* licita fuere, feliciterque cesserunt, non omnibus pariter cedunt. Alioquin idem tibi contingere poterit, quod cuidam Simiæ, quæ tonsoriæ ignara artis, barbam sibi radere volens, prout fieri ab homine viderat, pro barbâ labia sibi præcidit. Sed de his fusiùs ubi de imitatione & stylo.

Sive autem Modo supra explicato Concionem dividas, sivè non: à prolixitate potissimùm caveas, tanquam à defectu veniâ minùs digno. Nec hoc dixeris, „ *Fieri* „ *non posse, quin optimis potissimisque suis spolietur Concio* „ *tua ornamentis, dum ab eâ detrahere cogeris plurima*, „ *quorum alia egregia sunt, alia verò necessaria, alia au-* „ *tem utilia.* " Respondeo enim: hoc tibi quidem videri; non ità tamen viris impartialibus. At esto optima, utilia, necessariaque paraveris; & hæc omnia dico, accedente nimiâ prolixitate, superflua futura esse, imò deformia, & pessima; quatenùs scilicèt, Auditores tuos jam tædio fatigatos apta nata sunt ad bilem, murmur, quærimoniasque commovendas. Sed satis de Concionis Divisione; nunc ad ejus partium probationes festinemus.

CAPUT SECUNDUM.

De Partibus Concionem dividentibus.

QUINQUE distinguimus Partes Concionis; nempè, 1. Exordium, 2. Divisiones, 3. Probationes, 4. Moralitates, & 5. Conclusionem; de quibus plura sunt à Concionatore observanda. De Divisionibus tamen cùm jam dixerimus in Capite præcedenti; nunc nobis est de primâ Parte, seu de primâ Propositione, quæ dividenda est, estque argumentum Concionis, agendum. Pro cujus intelligentiâ notandum est, non solùm dividendum esse Concionis argumentum in duas Partes, seu Propositiones, ex quibus constat tota Concio; sed ipsasmet Partes illas seorsùm pariter in duas, tresve, aut plures dividi debere & probari,

Quælibet autem Concionis pars dividens, verus fillogifmus debet effe; conftare fcilicet majore, minore, & confequentiâ: major autem Propofitio debet effe aliquod generale principium quod vocatur Thefis: minor verò eft ipfamet Propofitio quæ probanda eft, & Hypothefis nuncupatur: confequentia tandem eft ipfemet fructus ab Auditoribus, ex Concione percipiendus. Priorem itaque, & pofteriorem Concionis Partem ordiri debes à principio aliquo generali, cujus nonnullæ requiruntur qnalitates, feu conditiones: & quo pofito, & fi opus fuerit, etiam probato, progredi debes ad minorem, ejusque Probationes. Quid autem tum 1°. circa principium illud; tum 2°. circa Probationes advertendum, & fciendum fit; fequentibus Articulis enucleabo.

ARTICULUS PRIMUS.

QUID circa Conditiones, & Qualitates Majoris, feu Thefis?

MAJOR Propofitio, feu generale principium, 1°. debet ità argumento tuo proprium effe, ut non cuicumque alteri aptari, & congruere poffit. 2°. Oportet ut ex illo facilè deduci, feu inferri poffit Propofitio à te probanda, tanquam quid neceffariò fequens, & ad ipfum naturaliter fpectans. 3°. Ut in illo fundetur quælibet Probatio à te præparata, alioqui generale principium non effet, & aliquæ Probationes nullo fundamento innixæ, aëreæ Probationes dicerentur, fivè in aëra, ut ità dicam, projectæ. 4°. Ut plerùmque fit breviffimum: non debet enim fundamentum domûs, ejusdem altitudini æquale effe; fed proportionatum. 5°. Ut ab omnibus admittatur tanquam verum, & certum. 6°. Ut fi Probatione indigeat, paucis probetur. 7°. Ut fit, fi poffit, vel ex S. Scripturâ, vel ex SS. Patribus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quid de Probationibus in Concione adhibendis?

CUM debeat Orator Hypothesim, seu minorem Propositionem fusiùs explicatam probare, necesse est ut de Probationibus sciat quomodo eas debeat eligere? Quomodo ordinare? Quomodo prosequi? Et quomodo agnoscere certò possit optimam esse, vel non Concionis suæ Probationem? Non enim junioribus tantùm Concionatoribus, sed ipsismet quoque in arte hâc Apostolicâ versatissimis, peritissimisque notum est, Probationem esse Concionis partem difficillimam; cùm ejus sit veluti corpus & substantia; hìcque inventione opus sit, & quidquid firmissimum & validissimum est, sit ab Oratore adhibendum: Ignorare igitur non debet locos communes, nec varias Figuras: sed de istis & illis suo loco cùm dixerimus: sicut & de Auctoritate, & Ratiocinio quæ sunt duplex Probationum genus; superest ut hîc tantùm 1°. de Probationum prudenti Electione, 2°. Ordinatione, & 3°. Prosecutione dicamus. Ac tandem 4°. de Modo cognoscendi an optima sit vel non Concionis Probatio, Et hoc patebit ex sequentibus Paragraphis. Sit igitur.

§. 1.

Quid de Probationum prudenti Electione?

OPUS est non minimum profectò, & non parvæ effectus sapientiæ & prudentiæ, scire & judicare quid congruat personis, temporibus, locis, circumstantiisque variis occurrentibus, ad efficaciùs obtinendum assensum intellectus, Auditoresque convincendos. Non enim ex Oratoris scientiæ & ratiocinii magnitudine & sublimitate sequitur Auditorum conversio. Sed qui Auditoribus suis congruentia utiliaque proponet, hujus procuildubio uberiores erunt fructûs, quàm doctissimi sublimiora Sacræ Theologiæ argumenta ubique pariter, & erga quodlibet Auditorum genus adhibentis. Sæpè

enim ad persuadendum Populis ideò sunt magis idonei, mediocriter eruditi Concionatores, quàm doctissimi; quià cùm non possint plerùmque nisi communes Probationes in Concionibus suis adhibere, ab omnibus percipiuntur; ubi è contra frustrà insudare solet, qui sublimiores & altiores adhibet. Quid autem ineptius Ratiocinio isto, quod à nonnullis auditur: „ *Doctissimæ sunt & exquisitæ Probationes illæ, ergo & ad persuadendum efficacissimæ?* " Quis nescit enim, non omnes Auditores doctos, aut scientiæ & doctrinæ cujuslibet capaces esse? Neminem verò esse qui suo modo non ratiocinetur, & proportionata suo ingenio Ratiocinia non percipiat. Elige igitur, non Concionatoris sagacitati faventes Probationes, sed Auditorum persuasioni, & captui. Quantùm ad persuadendum valeant sic perpende; ut, nisi tibi bonâ fide, & coram Deo videatur, te per illas movendum esse ad assensum iisdem veritatibus præbendum, quas aliis suadere intendis, (si ab alio Concionatore eadem audires:) eas nullatenùs adhibeas; sed alias sollicitè quæras quibus te movendum fore rectè judicabis.

§. 2.

Quid de Probationum Dispositione, & Ordine?

ELECTAS autem Probationes, scilicèt Auctoritates, & Ratiocinia, non ità dico debere ordinari, ut tanquam res distinctæ appareant; sed omnia ità miscenda sunt, ut vix unum ab alio Auditor discernat. Nullus Textus, seu nulla Auctoritas adhibeatur, nisi cùm Ratiocinio conjuncta: nullum Ratiocinium, nisi aliquâ Auctoritate fultum: nulla Figura, nisi medullâ plena & nervis. Quidquid enim Auditoribus suadetur, vel 1°. Ratiocinio suadetur adeò demonstrativè, ut negare non possint argumenti consequentiam; vel 2°. Auctoritate adeò venerabili, ut huic contradicere non audeant; vel 3°. Figuris adeò speciosis, ut quasi decipiatur recta ratio. Inveniendæ itaque sunt Probationes, deindè ità miscendæ, ut obtineatur finis intentus. Parùm est hoc, audi

§. 3.

QUID de Probationum Prosecutione sciendum ?

ITA prosequendæ sunt Probationes, ut à Propositione quam probandam suscepit nusquam discedat Orator: esto non numquam fieri quædam digressiones possint, & quidem jucundæ & perutiles; nusquam tamen à rectâ lineâ Probationis susceptæ, est recedendum: ità ut nihil dicatur quod ad ejus majorem intelligentiam non inserviat. Nec abstinendum dico ab omni Orationis ornamento; sed neque iis ità adhærendum, ut in iis adhibendis præcipuum sit Oratoris studium. Nec coactas laudo, molestasque aut agrestes scholastisque simillimas Probationes, injucundamve sterilitatem, qualis plerùmque iis accidit, qui nimio studio susceptæ Probationis præcisioni adhærent; eos verò non possum quin laude dignos dicam, qui nobili quâdam & eximiâ libertate, gravissimas, firmissimasque Probationes adhibent per rectam rationem directas, mirabilique arte ordinatas. Ab hâc autem Probationum rectitudine non recedes, si à primâ ad ultimam usque periodum, conclusionem intentam præ oculis habueris: & itâ Propositionem probes, ut & hanc pariter conclusionem prævideat Auditor, & hujus nusquam obliviscatur. Nec minùs ineptas dico Propositiones & Probationes quarum non prævidetur conclusio, quàm conclusiones quarum non apparet principium. Connexionem hanc, inter Propositiones aliundè optimas, non satis est animo tuo revolvisse, & perspexisse debes & hanc Auditoribus demonstrare, ad hanc eos quasi manu ducere, ità ut nusquam ab eâ mens eorum avocetur: nè aut nihil concludant ex dictis tuis; aut aliud quod ex illis non sequitur, quia ad conclusionem non inducuntur per præmissas. *Undènam repetenda sint hæc incommoda Auditoribus non parùm noxia à me si quæsieris*, brevi dicam ex eo plerùmque oriri, vel quòd compositionem tuam non, ut par est, perpendisti, vel quòd verbum, aut fortè Propositionem integram prætermisisti defectu memoriæ, vel quia congruentem transitionem, aut unionem ommisisti: ex optimis enim ipsismet Probationibus videtur plerùmque nihil concludi, ex eò præcisè

quòd harum cum conclusione connexionem non demonstrasti.

§. 4.

UNDE dignoscatur Concionis optima Probatio?

EX hùc usque dictis circa Probationes, colligitur ineptam esse Concionem in quâ non reperitur series quædam, seu contextus Ratiociniorum, quorum quodlibet rectum, accuratum, verum, lucidum, vividum ac vehemens sit, & quo quasi invisibili vinculo, simul uniantur. Ut autem certò scias an recta optimaque sit vel non Concio tua, hujus tibi accurata Analysis facienda est: hujus Partes seorsùm perpendendæ, harumque connexio mutuaque dependentia: res à verbis quibus induuntur segregandæ, & omnibus suis exutæ ornamentis, perpendendæ sunt: tunc nisi supradictum Ratiociniorum contextum in eâ inveneris; judicium Auditorum nè expectes; sed temetipsum statim judicans, ineptam inanemque esse tuam Concionem pronuncia. Analysis enim species quædam est Calicis aurariæ fusuræ, in quo verum aurum conservatur & purgatur, quidquid verò aut extraneum est, aut impurum vel evanescit, vel in pulverem resolvitur. Hoc in Calice si probare volueris Conciones omnes quas vel audieris, aut legeris, experientiâ disces plurimas esse parvi momenti, quià has earum Auctores non probaverunt in Calice accuratæ, & rigorosæ Analysis, vel si malueris, Anatomiæ. Si quæras igitur cur Conciones quàm plurimæ typis mandatæ à Legentibus parvi pendantur; quæ fortè ab eisdem, ex ore concionantis actu prodeuntes, approbatæ fuerant: non aliam ob causam esse audenter dico, nisi quia dum actu eas audiebant, earum Analysim non fecerunt: Legentes autem fecerunt; quam si prior fecisset Concionator, eosdem quos detexit posteà Lector deffectus invenisset, & emendasset. Sed satis est de Partium Concionis Probationibus: nunc sit

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Quid de Exordio & ipsi Adjunctis sciendum?

MIRABERIS fortè quòd ordinem inverterim, Monita & Regulas spectantes ad œconomiam, seu dispositionem, Concionis tradens: dicesque „ *concionem rectè ordinatam constare* 1°. *Exordio*, 2°. *Divisione*, „ *seu Partitione*, 3°. *Probatione*, & 4°. *Epilogo*, *seu* „ *Peroratione*, *vel Conclusione*: *quare ergo ab Exordio non* „ *cœpisti?* " Ad quod respondeo, me eumdem, in tradendis de Rethoricâ Sacrâ Regulis, ordinem servasse; qui ab optimis quibusque Concionatoribus, in conficiendâ quâlibet Concione suâ servari solet; primò enim imaginantur Divisionem generalem argumenti assumpti, & partium dividentium subdivisiones: Deinde earum Probationes ac Conclusionem: Exordium autem non faciunt nisi absolutâ Concione; ut scilicet, dum imaginatio, intellectus ac memoria eorum repleta sunt ideis Concionis mox fabricatæ, nihil in Exordio conficiendo cogitent, quod relationem cum dicendis in Concione non habeat. Cùm tamen in Concionis Conclusione potissimùm movendi sint Auditorum affectus, suo loco de illâ infra dicemus ubi de affectibus. De Exordio verò 1°. quisnam sit ejus finis, 2°. quænam & conditiones & qualitates in sequentibus quæstiunculis est investigandum.

Quæst. 1ª. *Quid de Fine Exordii, & Mediis ad Finem illum?*

FINIS Exordii est] Auditores ad Concionem audiendam præparare, quod ut consequaris, scito duo tibi esse in Exordio præstanda, captandam scilicèt eorum benevolentiam, & attentionem conciliandam: hoc autem ex triplici Capite fieri potest, quibus prout postulabit materia Concionis uti poteris, variando Exordia: 1°. Ex parte ipsiusmet Concionatoris, dum scilicèt affectum & charitatem erga Auditores tuos maximam, verbis amorem redolentibus ità aperis; ut statim videant te

Evangelicâ charitate ardere; te bona eorum, scilicèt virtutum acquisitionem & vitiorum emendationem, sinè quibus salus obtineri nequit, & salutem ipsam maximòpere curare & desiderare: damnationem verò & quæcumque in illam pertrahunt timere, & velle ab ipsis, quantùm in te est, per Concionem susceptam avertere: item dum vultu gestuque ac voce reverentiam quamdam cum modestiâ conjunctam erga eos exhibes. 2°. Ex parte Auditorum, dum scilicèt eos modestè sobriéque laudas, teque ab ipsis magna expectare, & eos à te æstimari profiteris: ut quantùm ipsorum intersit, intelligentes maximè attendant. 3°. Denique ex parte dicendorum in Concione, dum scilicèt eorum innuis magnitudinem, utilitatem, vel necessitatem, vel excellentiam & dignitatem.

Quæst. 2ª. *Quid de Conditionibus & Qualitatibus Exordii?*

OPTIMUM semper Exordium erit, dummodò quæ dicenda innuit, sint solida & juxta supra traditas, & infra in toto hoc tractatu de Rethoricâ Sacrâ tradendas regulas, ordinata & probata sint. Quatuor tamen hic recensere juvat vitia, quæ Exordium reddunt omninò injucundum aut ineptum. Primum est, cùm ità generale seu universale est, ut pluribus variisque omninò Concionum argumentis præmitti, & aptari possit: tunc enim infirmum est & debile, nec Auditorum animos perducit ad finem intentum. Secundum est cùm verbis turgidis, Propositionibusque nimiùm exquisitis constat; si enim, ut plerùmque contingit, Reliquum Concionis cum Exordii sublimitate non concordaverit, jam tædio affecti Auditores, vix attendunt ad cætera: imò & Concionatorem plerùmque, & ipsammet Concionem contemnunt. Tertium est Prolixitas, quæ oriri solet cùm à remotioribus principiis deducitur Exordium, ex quibus ad intentum progredi non potest Orator, nisi per inane multiloquium, quo ab initio obruti, & tædio affecti Auditores, aut recedunt, aut attendere dedignantur. Quartum autem & præcipuum Exordii

vitium est, cùm ex argumenti visceribus non desumitur; tunc enim non potest quin sit languidum, vulgare & ineptum. Debet igitur ècontra esse 1°. breve, 2°. clarum, 3°. simplici sermone exaratum, & 4°. ità argumento proprium; ut statim intelligant Auditores de quibusnam dicturus sis: optimum autem erit Exordium, si semper præ oculis habueris præcipuum Concionis argumentum, ejusque Divisionem, & si ad eam adeò directè tendas, ut per singula vocabula sensim magis magisque elucescat; nihilque occurrat quo impediatur Auditor, donec intelligat de quibus habenda erit Concio. Cùm autem quodlibet Exordium incipi soleat à Textu aliquo S. Scripturæ, & concludi aliquâ ad Deum fusâ Oratione: de utroque, tanquam de Exordii adjunctis, paucis restat dicendum priusquam Sectiomem hanc de Concionibus instructivis absolvamus. Hinc sequitur

Quæst. 3ª. *Quid de Textu in Exordio adhiberi solito?*

INEPTE omninò à quibusdam Concionatoribus Exordio Concionis præmittitur Textus ex S. Scripturâ equidem, imò non numquam ex ipsomet Evangelio diei; sed in quo nihil reperitur quod spectet ad materiam seu argumentum de quo in Concione sunt dicturi: undè de semel præmisso Textu nullam deinceps, nequidem in ipsomet Exordio, mentionem faciunt. Scias igitur, Concionator Candidate, in Textu assumpto expressam esse debere ideam generalem illam, quam in totâ Concione prosequendam diximus, sivè Textum illum ipsemet tanquam intento tuo magis congruum elegeris, prout in Concionibus Panegyricis plerùmque fit: sivè per ipsamet Evangelii diei verba ad talem ideam abstrahendam & prosequendam determinatus fueris. Ex illo itaque Evangelio, prout mos invaluit in Ecclesiâ, unam aut alteram tantùm Propositionem eliges, per quam determinatus fueris aut ad vitium speciale expugnandum, aut ad virtutem exhibendam, aut Mysterium aliquod explicandum, aut denique ad Sancti alicujus laudes retexendas. Ex quolibet enim ferè S. Scripturæ verbo facilè Concionatoribus suppeditatur undè & ideas gene-

rales abstrahere, & Conciones componere possint; maximè si ex Evangelio ab Ecclesiâ cuilibet tempori, aut Festo, in Missâ celebrandâ accommodato Textum tuum assumpseris: quod utique patet Ecclesiæ spiritui, & intentioni esse conforme.

Quid enim præclarius, sivè de Mysteriis Christi, Virginisque Matris, sivè de Sanctis dices, quàm quod de illis, aut dixit Spiritus Sanctus, aut à Spiritu Sancto intentum fuisse innuit Ecclesia Sponsa ejus? Numquid excogitata à te, & Mysteriis Sanctisve adaptata, S. Scripturæ Oraculis præponderabunt unquam, aut æqui parabuntur? Numquid parùm tibi videtur per infirmos intellectûs tui conceptus suscipere Auditoribus tuis exhibendas laudes, vel Mysteriorum explicationes à Spiritu Sancto revelatas? Aut quid aptius ad instillanda Auditoribus Sacra Documenta, quàm si jam ipsis constet hæc fuisse sibi desursùm data? Tunc siquidem, nec exaggerationis suspicio orietur ipsis: nec difficiles, aut tardi erunt corde ad credendum, præ reverentiâ S. Scripturæ Ecclesiæque debitâ: Nec quisquam tamen putet me propterea damnare eos, qui Textûs assumpti verba applicant Concionis suæ argumento, præter sensum litteralem, quem omnibus tamen aliis præponendum esse dico; optime enim ipsa poteris explicare in sensu allegorico, Allegoriâ seu Allusione desumptâ à loco, tempore, personis, Cæremoniisvè occurrentibus; quæ si, ut non numquam contingit, ipsomet Mysterio notiores fuerint, rationes proferes quibus ad talem Allegoriam inductus fueris. Occurrente V. G. die in quo legeretur Evangelium Pharisæi dicentis: „ Deus, gra-
Luc. 18. v. 11. „ tias ago tibi, quia non sum sicut cæteri Hominum. "
Versiculum hunc non incongruè pro Textu assumeres, si eodem die occurreret Festum aliquod Beatæ Virginis Mariæ, cujus Panegyrica tibi esset Oratio pronuncianda. Non autem congruerent Sanctæ Marthæ præconio verba ista ore Beatæ ejusdem Virginis, die Incarnationis
Luc. 1. v. 38. Verbi, prolata: „ *Ecce Ancilla Domini.* " Quamvis enim Martha Domino ministraverit, satagens circa frequens Ministerium; quia tamen statim ex verbis illis advertunt Auditores relationem aliquam cum Beatâ Vir-

gine; statim stuperent, & se deceptos à te fuisse meritò conqueri possent. Vel enim inter utramque Domini Ancillam comparationem absque restrictione faceres in Exordio tuo, & falsum enuntiares; cùm inter utramque nihil sit simile. Vel statim differentiam inter utramque, prout fieri deberet, demonstrares: cùmque nihil ex verbis illis colligere velles, nisi Martham curasse ut Christo à se in Domum suam excepto, & recumbenti optimè ministraretur: quidni statim pro Textu dixisti: „ *Martha* Luc. 10. v. 40.
„ *autem satagebat circa frequens Ministerium.* " Vel Joan. 12. v. 2.
„ *Martha ministrabat.* "

Quæst. 4ª. *Quid de Precatione in Exordio?*

SI autem quæsieris cur Exordio præmitti Signum Crucis, Exordiumque concludi per Salutationem Angelicam soleat? Memineris, velim, Concionem Sacram adeò sublime divinumque opus esse, ut Spiritum Sanctum habeat Authorem: plurima naturæ talenta, gratiæque dona supponat: naturæque vires omnes superet. Memineris hanc pro materiâ Verbum Divinum; pro fine verò gloriam Dei, animarumque salutem habere: nec ullam artem esse, aut scientiam, quæ Verbi Sacri Ministerium possit adæquare: nec ulli te propterea debere parcere labori, nullæ industriæ, nullis vigiliis, studiisque; ut modum discas Conciones rectè componendi. Memineris nullam omninò nec pro te, nec pro Auditoribus tuis gratiam sperare te posse, nisi ex meritis Christi crucifixi. Si igitur Poëtis, Oratoribusque etiam Paganis necessarium visum sit falsorum, quos colebant, Deorum adjutorium, initio Poëmatum Sermonumque suorum: quantò majori jure voluit Ecclesia Oratores suos, tum Christi gratiæ necessitatem profiteri per Crucis Signum: tum Beatæ Virginis, Matris ejus, potentiam, pietatemque agnoscere cujus ob merita divinum imploramus auxilium; sivè concionatori, ut Auditores recta doceat, sivè Auditoribus ut dictis credant prorsùs necessarium. Ideò Auditores suos hortatur Concionator ad simul tale auxilium petendum, per Salutationem Angelicam: quæ, (præterquàm Paschalibus Diebus,

quibus, „ *Regina Cœli lætare*, “ & Feriâ sextâ in Parasceve, quâ pars aliqua Hymni „ *Vexilla Regis*, “ canitur,) omnibus aliis Precibus præfertur; tum quia rectè, ad extirpanda peccata, Dæmonesque comprimendos, illius imploratur auxilium, quæ antiqui Serpentis caput contrivit: Tum quia præcipuorum nobis intelligentia Mysteriorum datur desursùm, mediante illius intercessione, cui datum est ut cunctas Hæreses sola interimeret in universo mundo.

Ecce Monita habes circa Conciones instructivas: quæ autem tibi necessaria sunt circa Morales referet Sectio sequens.

SECTIO SECUNDA.

Monita & Regulæ circa Conciones Sacras Morales.

CONCIONES Morales majoris momenti sunt quàm cæteræ omnes, & ideò uberiores ex ipsis fructus nascuntur, quia magis directè ad mores pravos convertendos, bonosque per virtutum bonorumque operum exercitium perficiendos tendunt. Cùm itaque ad hunc finem obtinendum media omnia adhibere debeas, Monita & Regulas hìc accipe nonnullas circa electionem veritatis probandæ. Circa verò ejus amplificationem, recolenda tibi erunt dicta superiùs de locis Oratoriis, in Libro Primo. Hìc autem sit

ARTICULUS UNICUS.

Ad quid attendere debeat Concionator circa Electionem Veritatis Moralis probandæ?

Quæst. 1ª. *Quare & qualis eligenda sit Veritas probanda?*

OMNIUM Concionum speciebus non necessarium tantùm, sed etiam essentiale est, ut primò Propositionem circa Concionis subjectum statuas, deindè in

ſubalternas Propoſitiones tanquam in membra dividas; ut ſtatim pateat quem in eâ ordinem ſequi intendas; ut & finem Concionis ſuſceptæ conſequaris, & ad eumdem adducatur Auditor. Ut autem recta fructuoſaque ſit Concio, quædam ſunt ſpeciales ſervandæ Regulæ, & à ſpecialibus vitiis cavendum.

Cùm primùm autem Concionator attendere debeat ut congruè de aſſumptâ Concionis ſuæ materiâ loquatur, curare procul dubio antè omnia debet, ut congrua ſit ipſamet Concionis materia: non de longinquo ſcilicèt adducta; ſed deducta naturaliter ex Evangelio, temporique, ac loco & Auditoribus congrua, ne ſuâ iſti expectatione fruſtrentur. Dici enim vix poteſt quàm noxia Concionatori, Concionumque fini, ex hâc ſubjecti incongruentiâ, præjudicia oriri ſoleant. Nec rarò contingit ut quâdam indignatione commoti Auditores quàm plurimi conquerantur dicentes: „ *Concio hæc optima eſſet* „ *quidem, ſi tempori locoque, Auditoribusve & Feſto con-* „ *grueret: ſed hanc cùm ſibi chariſſimam haberet Concio-* „ *nator iſte, utique curavit hodiè etſi tempori incongruam,* „ *in lucem proferre.* " Quantacùmque enimverò ſit Concionis rectitudo, & utilitas; longè tamem fructus naſcerentur uberiores ex illâ utpotè Auditoribus inſuper arridente, niſi extrà locum ſuum & tempus habita fuiſſet. Nec hoc ſatis eſſe credas, ut Concionis materia recta ſit & concinna; quaſdam prætereà debet conditiones, omnibus Veritatibus Moralibus haud communes, habere quas hic brevi perſtringam, Veritas ſcilicèt quam probandam aſſumis, 1°. ſimplex eſſe debet; 2°. determinata; 3°. & ad Auditorum inſtructionem apta.

Quæſt. 2ª. *Quomodo debeat eſſe ſimplex Veritas probanda?*

SIMPLEX autem erit ſi vel de Virtute aliquâ particulari ad quam colendam Auditores inducere, vel vitium à quo eos avertere volueris complectatur. Hoc tamen non ità ſimplex dico, & unicum debere eſſe Concionis ſubjectum, ut dividi non poſſit; cùm enim ex hoc conſtituendum ſit, ut ità dicam, Concionis corpus, ex illo prodire utique debent & membra

ejus, & partes omnes, juxtà varios ejusdem Veritatis respectus, seu modos, sub quibus potest considerari. V. G. De Pœnitentiâ dicturus, hanc considerare poteris, & quatenùs eâ indigent Christiani, & quatenùs ad hanc quædam requiruntur conditiones, sicque ex Pœnitentiæ necessitate & qualitatibus, bipartitam conficere Concionem poteris, cujus simplex erit subjectum, seu Veritas probanda.

Per hanc prætereà simplicitatem excludendas scito esse Concionis ichnographias illas omnes, quæ ad plura accommodari possunt Concionum argumenta : vel quarum tot sunt partes dividentes, ut nullatenùs pateat cur de unâ potiùs dicendum sit, quàm de aliâ. V. G. Si Concionis tuæ argumentum istud esset : „ *Modi præparandi se ad talis Festi, vel Mysterii Celebrationem, aut* „ *Cultum.* " Iidem enim sunt modi illi omnes, quod profectò dici nequit de præparatione ad Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ Sacramenti susceptionem, circa quorum quodlibet ad particularem præceptamque præparationem obligatur Christianus, ut hoc dignè recipiat.

Per hanc denique subjecti, seu argumenti simplicitatem excluduntur Concionum ichnographiæ illæ omnes, quæ defectu unionis, & relationis unius ad alterum, tot Conciones exhibent in unum congregatas, quot partes dividentes. V. G. Si de restitutione dicturus, in unâ Concionis tuæ parte, de restitutione bonorum per furtum raptorum diceres ; in secundâ de restitutione famæ per calumniam, & detractionem ablatæ. Ab alio autem extremo cavendum est, nè scilicèt Divisio Concionis strictis adeò limitibus conclusa proponatur, ut non nisi mediantibus extraneis confici possit inventis, & argumentis. quibus quidem tibi opus nequaquam erit, si ità Concionem dividas, ut quidquid ad virtutem, vel vitium de quo agitur essentialiter pertinet, & ad movendos Auditores est aptissimum, complectatur. Cave pariter nè pro Concionis argumento præcipuo id assumas, quod hujus tantùm pars seu accessorium esse debet : V. G. Concionem de charitate erga proximum dividendo in varias, virtutem hanc exercendi, occasiones : aut varia ad hanc vel aliam virtutem acquirendam, media : cùm

ipsamet

ipsamet virtus illa præcipuum esse deberet Concionis argumentum; de mediis autem illis in eâ dicendo tanquam ad inductionem faciendam, & ad Concionis amplificationem aptissimis.

Quæst. 3ª. *Quomodo debeat esse determinata, & quæ ejus utilitas?*

UT autem determinata sit veritas seu Propositio quam probandam assumis in Concione, cavendum tibi est à generalioribus illis Divisionibus, seu Concionis ichnographis, in quibus cùm nihil determinatum, distinctumque exhibeatur, non nisi confusa de virtute, vel vitio de quibus agitur, idea Auditoribus ingeritur. Veluti si de Christiani viri officiis Concionem habere velles, non dicens in specie in quibusnam occasionibus, nec in quonam statu spectes Christianum. Vel si de vitiis linguæ concionari velles, quorum singula totidem Concionum distincta esse possunt argumenta: & cætera hujusmodi, ex quibus Liber potiùs & Tractatus constituitur, quàm Concio ordinata; quæ debet specificam unitatem habere, & minùs prolixa esse.

SED ad istud imprimis est advertendum in Concionis moralis argumento eligendo, à quo Concionis moralis nomen sibi vindicat: ut scilicèt ad Auditorum instructionem tendat, fructumque ex eâ ad mores suos reformandos, aut perficiendos, & ad salutis æternæ consecutionem percipere valeant. In hoc enim distinguuntur Christiani Sermones ab Accademicis: in quibus non numquam de virtutibus quidem moralibus dicit Orator, sed tantummodò in ordine ad civile regimen Reipublicæ, pacemque publicam, aut promovendam, aut fovendam, tanquam ad finem ab Oratore Prophano intentum. Ad tres mox explicatas conditiones si sedulò attenderis, Concionator Candidate, aut nusquam, aut raró errabis circa argumenti electionem, & Ichnographiam moralis Concionis. Nè Liber iste nimiùm augeatur, quæ in tertiâ Sectione dicenda essent, dicam in sequenti Libro, Sit igitur

DE RHETORICA SACRA LIBER QUARTUS.

MONITA ET REGULÆ

Circa Conciones Exornativas.

CUM *Genus Exornativum* dixerim illud esse, quo Sanctorum præclara gesta Auditoribus exhibet Concionator & à Sancto Sanctorum Christo Domino gesta, aut revelata, prætermittere utique non possum Sectionem istam specialem de Exornativis Concionibus. Hanc igitur in quatuor Capita dividam; in quorum primo de Concionibus Exornativis spectantibus ad Christum. In 2°. de spectantibus ad Beatam Virginem Mariam. In 3°. de spectantibus ad alios Sanctos. In 4°. de spectantibus ad Funebres Conciones. In 5°. tandem de spectantibus ad statum Religiosum. Sit itaque.

CAPUT PRIMUM.

QUID de Concionibus Exornativis ad Christum spectantibus sciendum?

CONCIONES Exornativas ad Christum spectantes eas appello, quæ circà Religionis nostræ Mysteria fieri solent à Concionatoribus Sacris. Sub Mysteriorum autem illorum nomine comprehenduntur non solùm essentiales Religionis nostræ Veritates; scilicèt Trinitas Personarum in uno Deo, Incarnatio Verbi, Beatitudo,

vel Damnatio æterna, & aliæ hujusmodi; ſed etiam actiones à Chriſto, in ordine ad ſalutem noſtram geſtæ; ejus nempè Nativitas, Circumciſio, Epiphania, Transfiguratio, Paſſio, Mors, Reſurrectio, Aſcenſio, & Spiritûs Sancti Miſſio. Aliæ autem ejus actiones, quæ non ità immediatam cum operatâ Redemptione noſtrâ relationem habent, Myſteria non nuncupantur, niſi per Metaphoram. Qui autem ſucceſſu temporum antiquis Feſtivi dies additi ſunt ab Eccleſiâ, quique Myſteria pariter dicuntur: V. G. Feſtum Dignitatis Cordis & Nominis Jeſu, &c. non nova Myſteria dicenda ſunt, ſed ab initio nobis revelatorum veluti partes, & conſequentiæ: quas ideò novis Feſtis celebranda ſtatuit Eccleſia, ut Fidelium devotio, aut excitaretur, aut instauraretur. Ut igitur innoteſcat tibi, Concionator Candidate, quomodò de Myſteriis Chriſti concionari debeas, ad plura attendas oportet, primò circa materiam hujus ſpeciei Concionum; ſecundò circa formam; & tertiò circa ſtylum, & ornamenta, quæ ſub triplici Articulo trado tibi.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid de Materiâ Concionum Exornativarum ad Chriſtum ſpectantium, ſeu de Myſteriis in genere & in ſpecie?

QUÆ circa Myſteria in genere & in ſpecie notanda ſunt, variis Paragraphis perſtringam, ſcilicèt: Cur de illis Concionatores plerique non concionentur? Quàm neceſſariæ ſint hujus ſpeciei Conciones? Quid de his SS. Patres, & noſtri hujusce ſæculi Oratores Sacri? Quænam ſit neceſſitas Regularum circa illas? Quem ſibi finem in his debeat Concionator proponere? Quomodo eligere debeat harum Concionum Propoſitionem? Quænam Propoſitiones vitandæ ſint? Qualis eſſe debeat harum moralitas? Qualis harum unitas in Myſterio? Qualis unitas in moralitate? Quid notandum circa Myſteria? Quid de revelationibus? Sit igitur,

QUÆSTIO PRIMA.

Cur de Mysteriis Religionis non concionentur plerique Oratores Sacri?

ADEO plerisque Concionatoribus arrident Conciones Morales, ut quasi glorientur nullas alias etiam iis diebus habere, quibus in maximis Religionis nostræ Mysteriis colendis tota occupatur Ecclesia. Horum intentionem absit mihi damnare, quæ sancta esse potest: aut zelum, quo rapiente, sectantur, quæ sibi utiliora videntur. Quin imò hîc non quæro, an ad hoc jure merito inducantur ex quibusdam temporum circumstantiis, aut occasionibus, aut Auditorum urgentiori necessitate. Dolendum tamen dico quòd plerique de præcipuis Religionis nostræ Mysteriis non nisi *per transennam*, & paucis dicere soleant. Nec dicant „ Ubique nota esse „ Fidei Mysteria inter Christianos, ideòque necessarium „ magis esse, ut eorum voluntas ad earum virtutum cul„ tum moveatur, quibus mores ipsorum, aut informantur „ aut reformantur, quàm ut circa Mysteria illa eorum „ illuminetur intellectus. “ Ad hoc enim respondeo ideò econtrà de Mysteriis concionandum, quia Moralis Christianæ fundamenta sunt, nec Concionatoribus hujusmodi desunt, & occasiones Morales Conciones habendi, & quidem frequentissimas tempore Adventûs, & Quadragesimæ, diebusque Dominicis: fateantur potiùs se ideò Morales Conciones Exornativis præponere, quia difficiliores istæ sunt quàm illæ, ideòque minùs arrident laborem fugientibus.

QUÆSTIO II.

An necessariæ sint & utiles Christianis Conciones circa Mysteria?

SED hujus speciei Concionum necessitas ex eo colligitur, quòd Christianos hortatur Ecclesia ad dies Festos illos maximâ cum devotione celebrandos. Quomodo autem eorum ad hoc excitabitur devotio, nisi à Concionatoribus Mysteria colenda fusiùs ipsis exhibeantur, non verò paucis tantùm verbis & per transennam? Cùm

enim per prædicationem Myſteriorum fides diffuſa fuerit in corda hominum, quomodo in illis fovebitur, niſi quotiescùmque de ſummis hiſce Religionis noſtræ veritatibus agunt Concionatores, earum ſimul conati fuerint magnitudinem, momentum, ſanctitatem, fructusque ex iis percipiendos ſolutâ Oratione demonſtrare? Timendum profectò nè veritatum Myſteriorumque Fidei noſtræ ignorantiam, vel oblivionem ſequatur morum corruptio, quos per Conciones morales conaberis informare: vitiaque irrepant, ubique, in quibus eradicandis, expugnandisque totus eris.

QUÆSTIO III.

QUID de Concionibus hisce Exornativis, in Sanctis Patribus & Prohanis Oratoribus, reperiatur? Quid & in hujusce Sæculi noſtri Concionatoribus?

NULLUM profectò de Concionibus hujus Generis Exornativis exemplar reperies in Prophanis Paganisque Oratoribus, cùm de perſcrutandis ſuperſtitionum ſuarum Myſteriis non curaverint; quæ tamen ſic ſcrutari ſi voluiſſent, Populisque explanata exhibere, ab his forſan nullus rectæ rationis lumine gaudens averſus non fuiſſet, horum proſpectâ ridiculitate. In Sanctis verò Patribus, primis utique Chriſtianis Oratoribus, etſi plurimas hujus modi Exornativas Conciones habuerint; de illis tamen nullum documentum, Regulæ nullæ reperiuntur, ex quibus conſtitutam habeamus artificialem, novam & antiquis cognitam Oratoribus Rethoricam, ſeu modum Conciones hujus modi fabricandi. In Concionibus imò ſuis circa Myſteria, zelum potiùs ingeniumque proprium ſecuti ſunt, quàm Regulas, & ex abundantiâ cordis magis quàm methodicè locuti. Ipſos tamen conſtat alio modo Exornativas, quàm Morales Conciones ſuas compoſuiſſe: juxta obvia quædam S. Scripturæ verba conatos fuiſſe ſibi coætaneos Hæreticos debellare, eaque probare, quæ nunc ubique manent invictè firmiterque conſtituta & probata. Et in iis Concionibus ſuis, propter Argumenti excellentiam, ſublimiori ſtylo uſos fuiſſe dictisque longè acutioribus, quàm in aliis. Hos

attamen non perfectos, in novo isto Concionum genere, Magistros habemus: nec certas nobis suppeditant pro illarum compositione Regulas, quibus inhærere debeat Concionator.

MULTÒ minùs eorum vestigia premere debes, qui hujusce nostri initio sæculi maximè floruere; etsi enim in ipsorum Exornativis Concionibus, vividæ Eloquentiæ, acutè dicta, rectissimæ probationes optimèque ex principiis deductæ Moralitates inveniantur ad movendum aptissimæ: dici ut meritò possit ab ipsis incæpisse hodiernum modum Conciones hujusmodi fabricandi, ipsum tamen solùm delineavere; non enim *hodie placet eorum* methodus, nec modus, quo cogitata sua expresserunt.

QUÆSTIO IV.

QUÆNAM sit Regularum necessitas circa hujus generis Conciones?

DUBIUM itaque non est quin aliunde exquirendæ nobis sint Regulæ: experientiâ siquidem patet, non more Apostolico eum Concionari (sicut pluribus visum est) qui nullam præparationem, nullamque in Concionibus suis methodum adhibet; sed ad Auditorum sensum, & captum rationem habendam esse, tuncque ut plurimùm moveri eorum corda per Conciones, cùm vividæ sunt, & ad suadendum idoneæ. Non itaque vitiatur Verbum Dei cùm Regulæ traduntur ad ipsum ordinatè annuntiandum; sed media potiùs proponuntur, ut *fructus afferat* quoscumque ex naturâ suâ afferre potest.

QUÆSTIO V.

QUEM finem intendere debeat Concionator in Concionibus Exornativis hujus speciei?

RELIGIONIS enim nostræ Mysteria Populis exhibens Concionator, non eo tantùm fine debet de illis Concionari, ut doceantur quidquid scire circa illa tenentur Auditores; sed simul ut excitentur ad morum cum fide conformitatem, in eodemque Argumento inveniant undè & eorum illuminetur intellectus

& cor moveatur. Concionatoris est itaque, in eâdem Exornativâ Concione, moralitatem cum speculatione conjungere, & circa Fidei veritates sic Auditores docere, ut ex iisdem simul motiva eruat & exhibeat ipsis, quibus ad christianè vivendum efficaciter inducantur; per hoc enim Exornativa hujus speciei constituitur Concio, & ab Accademicis, prout supra explicavimus Orationibus distinguitur, mediumque tenet purè Moralem inter & Panegyricam Concionem.

QUÆSTIO VI.

QUOMODO eligi debeat hujus Ichnographia?

SUPPOSITIS itaque supradictis Concionis Exornativæ fine & naturâ, congruum est ut Monita tibi Regulasque exhibeam, quibus & defectus agnoscas obstantes, nè finem istum consequaris, & media ad illum consequendum. Ad Concionis igitur hujus speciei Ichnographiam imprimis attende. Ichnographiæ autem nomine nihil hîc intelligitur nisi propositio quæ in totâ debet Concione primatum tenere, & ex quâ propriè constituitur Ichnographia & species Concionis. Attento hodierno, & quidem optimo, Concionis fabricandi modo, in propositione illâ includi debet aliquid morale, vel scilicèt virtutis alicujus exemplar juxta quod possit Auditor mores suos & vitam dirigere: vel instructio quâ ad implendas statûs sui obligationes excitetur: vel veritas tandem aliqua ad praxim tendens. Alioqui Sermonem Theologicum potiùs fabricabis, quàm Concionem Exornativam, cujus scopus & finis est Auditoribus explicare quæ à Deo revelata nobis fuere, &, ad propriam agendi rationem, instructiones ex revelatis deductas ipsis exhibere.

QUÆSTIO VII.

QUASNAM vitare debeat Concionator, in Exornativis Concionibus, Ichnographias?

INEPTA igitur Concionis tuæ Ichnographia illa foret in quâ, V. G. de Nativitate Christi dicturus, probandum assumeres Verbum Divinum nullum passum

fuisse excellentiæ suæ Majestatisque detrimentum; nec cùm per Incarnationem factus est homo: nec cùm natus est in præsepio; non enim satis Auditorum utilitati commodisque favet propositio illa, ut ad Concionis tuæ Argumentum maximè attendendum esse judicent, tanquam ad consequentiam naturaliter ex veritate à te probatâ fluentem. Communi itaque judicio, tanquam per decretum à pulpito hodie eliminantur Ichnographiæ illæ omnes speciosæ ac splendidæ, tanto studio à non nullis quæsitæ, in quibus V. G. Christus nascens exhibetur tanquam sol oriens; Materque ipsius V. Maria in suâ Conceptione tanquam Luna quotidie crescens: vel in quibus assumpto, sivè inter Astra, sivè inter Meteora, aut inter singulares naturalium causarum effectus, typo aliquo Hieroglyphico, comparatio continuata & ordinata in totâ Concione exhibetur; speciosæ siquidem ac pompis plenæ Concionum Ichnographiæ iis tantùm nunc arrident, qui adulterinam potiùs, quàm plenam solidamque Eloquentiam quærunt in Concionibus. Caveas tamen ab alio extremo vitioso, nè scilicèt in Concione Exornativâ ex Mysterio aliquam tantùm educas Propositionem Moralem, præmisso Exordio tanquam præparatione ad illam sic eruendam; ità ut Mysterium, quod præcipuum debet esse Concionum hujus speciei Argumentum, sit tibi quasi ansa Moralitatem *enucleandi qua* harum conclusio tantùmmodò debet esse & fructus.

QUÆSTIO VIII.

QUALIS adhibenda sit in Exornativis Concionibus Moralitas?

EX supradictis dubium non est quin adhibendæ sint in hujus speciei Concionibus moralitates, seu instructiones morales, moribus informandis reformandisve idoneæ sed moralitatem scito propriam ibi esse adhibendam; quidenim ineptius quàm, in ipsismet Mysteriis nova quærere Mysteria; & ubi nulla sunt, excogitare velle & fingere. Laboraret utique Concio tua vitio illo pluribus communi, Concionator Candidate, si spretis communibus, obviisque & Ecclesiæ, ac Patrum sensui congruentioribus

bus, ſpretis rationibus moralitatibusque; alias palàm proferret, quas invenire nemo poteſt, niſi qui præmiſſis prolixioribus & de longinquo adductis rationibus, exquiſitam & inſolitam ſolet contexere moralitatem à nemine fortè huc uſque excogitatam. Memineris igitur ſuam aliquo modo Myſteriis Chriſtianæ Religionis ineſſe moralitatem, nec aptiorem genuinamque magis adhiberi poſſe & debere, quàm quæ ſpeculatione indiget minori. Moralitas autem propria ea dicitur, quæ majorem habet cum charactere Miſterii de quo agitur relationem, quàm cum Concionatoris ingenio. In Myſteriis V. G. in quibus majorem nobis exhibet Chriſtus charitatis ſuæ teſtificationem, excitare debes motus amoris ac benevolentiæ, potiùs quàm minis de irâ Divina, & objurgationibus Auditores tuos terrere; ſæpiùs enim flectuntur corda Hominum manſuetudine, & beneficiis, quàm Judiciorum vindictæque Divinæ terrore.

QUÆSTIO IX.

QUALIS Unitas requiratur in Concione Exornativâ?

NEC minùs attendere debes, in Concionis Exornativæ Ichnographiâ, ad unitatem quæ in quibuscumque Concionum ſpeciebus neceſſariò requiritur: in iſtâ autem difficiliùs obſervari poteſt propter moralitatem, quæ in illâ adhibenda eſt ut inſtructiva ſit, qualis nunc deſideratur; in commixtione autem varietateque (ex quibus hujus ſpeciei Concionum excellentia reſultat & fructus) vix vitari poteſt Propoſitionum multiplicitas, & diſparitas rectæ rationi, ordinatæque Concioni adeò contrariæ.

DUPLEX autem adhibenda eſt unitas, ſcilicèt 1°. Myſterii ipſiusmet, de quo dicitur 2°. moralitatis ex eo deducendæ: unitas quidem myſterii quâ ſic à quocumque alio Myſterio diſtinctum exhibeatur, ut nullatenùs permiſceantur V. G. Incarnatio cum Nativitate Chriſti, aut B. Mariæ Conceptio cum ejusdem Nativitate. Unitas verò in moralitate, quatenùs nempè quidquid in Myſterio inſtructivum reperitur, tendat pariter ad eamdem morum informationem; V. G. ad plures actus ejuſdem virtutis ſuggerendos vel ad varia ex eodem vitio, aut

passione scaturientia peccata arguenda, sufficit enim ad unitatem illam, ut eodem genere conveniant. Moralitas autem illa fieri debet in ordine ad aliquam maximi momenti veritatem, vel ad statûs nostri, aut Religionis essentialia munera & indispensabiles obligationes. Qui verò eamdem semper in quovis Mysterio Christi, eamdem & in quocumque Mysterio V. Mariæ adhibent moralitatem, hi procul dubio Concionis suæ argumentum non satis perscrutati sunt. Nec minor requiritur in Concionatore & labor & animi solertia ad moralitates variandas, & *simul ex ejusdem* argumenti, seu Mysterii, ut ità dicam visceribus deducendas.

QUÆSTIO X.

QUID circà Mysteria notandum sit?

SED in Mysteriis cavendum tibi est 1°. nè vocabulis, seu terminis utaris prorsùs Theologicis, sicque in plurium Auditorum mentes obscuritatis tenebras potiùs, quàm instructionis lumen infundas. 2°. Nè Mysteria aggrediaris explananda; sed brevi explices in quo sita sit eorum substantia, ad lumen verò inaccessibile noli oculos elevare, sed necessitátem fidei & subjectionis animi erga Mysteria demonstrare coneris. Cùmque ex Mysteriis præbeatur nobis motivum vel gaudii, ut in Resurrectione Christi; vel luctûs, ut in Passione ejus & Morte: vel utriusque simul, ut in Incarnatione ejusdem & Nativitate: ad quodlibet argumentum habenda ratio est, ut cuique dicta tua & cogitata congruant, motusque varios pro argumenti varietate excitare coneris; nec enim congruunt flosculi Eloquentiæ, mollisque elegantia, ubi Concio habetur de Christi tormentis & Cruce: nec debes lacrymas & luctum excitare, sed potiùs odium peccati, quòd causa Passionis ejus fuit: & reverentiam devotionemque erga Christum, prout dicemus fusius infra ubi de Concionibus Exornativis *spectantibus* ad Sanctos.

QUÆSTIO XI.

QUID *de Revelationibus & Digressionibus?*

UBI autem excitandi sunt motus compassionis ergà dolores Christi, necessarium non est, hinc indè revelationes quærere: quia in Scripturâ Sacrâ (in quâ quidquid legitur infallibilis est auctoritatis) quidquid sivè ad Concionem absque erroris periculo conficiendam, sivè ad motus Mysterio cuilibet congruentes necessarium est, reperitur: revelationes verò longè inferioris sunt certitudinis, & incredulorum censuræ simul & derisioni obnoxiæ sunt.

DIGRESSIONES quasdam intermiscere jucundum quidem & decorum, sed paucis & prudenter adhibendæ sunt: desumi autem possunt vel ab aliis Mysteriis per modum comparationis & similitudinis: vel ab Israëlitico Populo, virisque spectabilioribus, qui in ipso, antè Evangelicæ Legis promulgationem, floruere: *vel à primitivæ Ecclesiæ Christianis: vel ab Idololatris* Hæreticisque & aliis.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE FORMA CONCIONUM EXORNATIVARUM *ad Christum Spectantium.*

CIRCA hujus speciei Concionum formam, seu constructionem, hic quæritur tantum quænam sit tempori magis congruens methodus servanda in earum divisione? Et quid de *triplici modo quo in iis*, adhiberi possunt moralitates. Unde sit.

QUÆSTIO PRIMA.

QUÆNAM Methodus servanda sit in Concionibus circa Mysteria Christi?

ELECTA veritate aliquâ, seu propositione, ex quâ tibi sit locus, quidquid de Mysterio, de quo agitur scire necessarium est, explicandi, primùm ità Con-

cionem dividere debes, ut quælibet Myſterii pars naturaliter ad concluſionem intentam tendat, & fluat concluſio ab ipſis tanquam à præmiſſis. Myſterii autem partes dico vel geſta in illo incluſa, vel fines varios à Deo in illius operatione & executione intentos, vel rationes nobis ab Eccleſiâ, aut à SS. Patribus aſſignatas, & explicatas, circa Dei regimen erga homines, relativè ad Myſterium de quo agitur. Deinde geſta illa, rationesque rectè & ordinatè amplificandæ ſunt & ſtabiliendæ ac probandæ; alioqui incongruas tantùm, & ad Auditorum corda movenda prorſùs ineptas, ex illis, moralitates inferrè & educere poteris; quid enim in Ratiociniis ineptius, quàm conſequentiam inferre ex præmiſſis, ſeu rationibus quibus nititur, & ex quibus deducitur, non ſufficienter, & debitè demonſtratis? Noli itaque per moralitatem Auditores tuos inducere V. G. ad grati animi ſignificationem erga Dei beneficia in Myſterio, de quo Concionem habes nobis collata, prius quàm probaveris 1°. quanta ſint, & quantùm nobis proſint accepta hujusmodi beneficia, 2°. quare Myſterium eſt completum à Deo: & nobis ab Eccleſiâ propoſitum fuerit. Imprimis autem præ oculis ſemper habeas argumentum ſeu Concionis ſuſceptæ, Ichnographiam: nè obviam aliquam moralitatem nimio zelo & Orationis impetu proſequens, ad præcipuum intentum non redeas; rectitudinis enim defectus iſte eſt, & ab æſtuante imaginativâ potentiâ oritur, & iis plerùmque communis eſt, qui vel Concionis argumentum, ſeu materiam non ſufficienter ſcrutati fuere, vel qui abſque præparatione Concionari præſumunt. Hæreticos igitur, vel Impios, & Peccatorum ſanie laborantes Catholicos increpare, datâ occaſione in Concione, ſi volueris, increpatione deductâ ex probatis veritatibus; ità eos increpare debes, ut Auditoribus innuas te tantùm occaſionaliter in illos inſurgere, nè dum à te leviter tantùm & quaſi per tranſennam ſe increpatos aúdiunt circa aliquam magni momenti virtutem aut vitium, graviora validioraque argumenta & rationes te non habere arbitrentur, quibus *debellare eos & evincere* poſſis.

QUÆSTIO II.

QUID dicendum de Triplici Modo Moralitates, in Concionibus supradictis, adhibendi?

TRIPLICI Modo posse in Concione Exornativâ moralitates adhiberi constat experientiâ; alii enim in primâ Concionis parte, quidquid de Mysterio habent dicendum, simul dicunt: quidquid verò moralitatis, in secundâ parte congruant: alii moralitatem propriam ad cujuslibet subdivisionis calcem addunt: alii verò, occasione datâ ex quolibet Scripturæ verbo, ad probandam Propositionem assumptam adhibito, moralitatem cuilibet verbo congruam distribuunt. In primo Modo, major videtur inesse soliditas, Mysterii profundior accurariorque Tractatus, & major Conciones Exornativas inter & purè morales differentia. In secundo, reperitur major varietas, ratione cujus minùs oneris affert & tædii, citiùsque finem intentum consequitur Concionator. Tertius tandem Modus Homiliam potiùs, quàm Concionem ordinatam redolet, quam tamen conficere non intendunt qui illo utuntur Modo moralitatem adhibendi. Mihi autem magis arridet secundus præsertim in Mysteriis illis, in quibus plurimæ conjunctæ inveniuntur actiones; magis enim congruit moralitas deducta ex quâlibet actione, seu parte Mysterii, quàm si tota simul pro fine Concionis reservaretur; difficile enim est ut omnes Mysterii partes concurrant ad unitatatem moralitatis in Concione, ut diximus, servandam: sicut concurrunt ad unitatem Mysterii. Si verò moralitatem illam in plures dividas nullam relationem habentes adinvicem, non immunis erit Concio tua à defectu quem suprà argui in iis qui Concionem conficiunt ex pluribus argumentis disparatis quæ totidem aliquo Modo Conciones sunt simul non unitæ, sed coacervatæ. Ubi advertendum est 1°. nihil in Concionibus dicendum esse de Mysteriis, nisi de cujus certitudine, ex Auctoritate SS. Patrum, vel S. Scripturæ constat, vel ex Traditione. 2°. Non circumstantias omnes, sed præcipuas tantùm, vel magis essentiales recensendas esse & expli-

candas in Concione: cætera verò quæ vel minimi, aut nullius sunt momenti, vel incerta & dubia, vel quæ in Apocryphis Libris leguntur, sunt ommittenda.

ARTICULUS TERTIUS.

QUID circa Stylum & Ornamenta Concionum Exornativarum?

NON in Exornativis tantùm, de quibus hic sermo est, sed & in aliis quibuscumque Concionibus, vix de Stylo curabant olim Concionatores; cùm autem limatus politissimusque, ut ità dicam, sit hodiernus Conciones fabricandi, & de illis judicandi Modus, necessitas mihi incumbit, ut de illo potissimùm tibi, Concionator Candidate, plurima tradam Monita, circa Stylum in Concionibus de Mysteriis Christi adhibendum, plura fusiùs alibi de Stylo dicturus. Dubium igitur cùm non sit quin inter Concionum quascumque species, primatum teneat ea de quâ hîc loquimur, ratione materiæ: primatus utique ipsi pariter debetur ratione Styli qui ad ejus formam attinet. Cavere tamen debes ne in quâlibet Concionis parte, & in quolibet Mysterio ità Styli tui effulgeat sublimitas, ut à naturali prorsùs & communi recedas loquendi modo. Necessarium enim plerùmque est ut, quæ de Mysterio penitùs intelligi ab Auditoribus nequeunt, ab ipsis saltèm aliqualiter intelligenda exhibeas.

Stylus sententiosus & concisus.

CAVENDUM imprimis à Stylo sententioso, &, ut aiunt, conciso; in quo scilicet tot distincta argumenta, & sententiæ reperiuntur, quot periodi imò & lineæ: & ex quo tandem Auditoribus tædium afferri solet. Si enim plura argumenta congeras, urgeasque & constringas, pluraque paucioribus dicere ubique volueris, jam Auditori tempus non supererit ad singula, ut par est, attendendi: quæ verò intelligenda ipsi exhibere intendis, propter sententiarum nimiam multiplicitatem & constrictionem, inintelligibilia evadent, utpotè aliis sententiis plerùmque aut falsis, aut coactionem redolentibus involuta, & in-

tricata. Vividus equidem & ſplendidus primâ fronte apparet Stylus hujusmodi, & animum percellit Auditoris, ſed non incongruè aſſimilandum dico ſuaviſſimis jucundiſſimisque liquoribus, quorum tamen abundantia & immoderatus uſus adeò faſtidioſam tandem potantibus afferunt ſatietatem, ut ab ipſis deinceps abhorrere ſoleant.

Numquid igitur Stylum tibi ſuadebô Aſiaticum quo pauca pluribus verbis ità dicuntur, ut dùm augentur & dilatantur per nimiam amplificationem & explicationem, evaneſcunt tandem & quaſi annihilantur rationes & argumenta? Abſit: ſed Styllum tibi arridere illum cupio quo ità cogitata aperias, ut nec langueat Auditor Probationum, & Ratiociniorum finem expectans, nec præ nimiâ conſtrictione dictorum cogitabundus hæreat, mente revolvens quid dicere intendas. Et hoc quidem tum in quibuscumque Concionum ſpeciebus, tum in iis præſertim, quæ de Myſteriis Religionis Chriſtianæ habentur, in quibus cùm plerùmque amplificatio fieri nequeat ex geſtorum multitudine, aut circumſtantiarum & adjunctorum, fieri debet ex SS. Patrum ſententiis, rationibusque à Theologiâ deſumptis: Styloque utendum eſt motibus Auditorum à te excitandis congruo & proportionato: de quo vix alia haberi Regula poteſt, præter Modum cogitata ſua aperiendi quem quisque magis minùsve Auditorum captui accommodatum, aut innatum habet, aut experientiâ & labore acquiſivit. Stilus Aſiaticus.

De Figuris autem, quæ præcipuum ſunt Styli ornamentum, cùm fuſiùs infrà dicturus ſim has hîc tantùm per tranſennam dico, cautè & ſolerter in ſpectantibus ad Myſteria, adhibendas eſſe; quamquàm aliundè vix tradi Regulæ poſſint, eò quòd plerùmque parùm curet optimus Orator de aliorum Stylo, ſed eo qui ſibi videtur optimus, uti quiſque ſoleat. Etſi autem pro argumentorum varietate varius pariter debeat eſſe loquendi Modus; cùm tamen ex dicendorum de Myſteriorum excellentiâ & magnitudine, præclarus pateat Eloquentiæ campus; in illis utique Figuræ (Sermonum lumen nuncupatæ) frequentiores, ſimul & acutiores ſunt adhibendæ. Cùm denique inter alias ſæpiùs adhibeatur Apoſtrophe & Exclamatio, vitandam eſſe moneo declamatoris

affectationem, hisque Figuris tùnc tantùm à te esse in Concionis contextu utendum, cùm de maximè sensibilibus agitur.

CAPUT SECUNDUM.

QUID de Concionibus Exornativis ad Beatam Virginem Mariam Spectantibus?

CUM in præcedenti Capite plura dixerim, quæ Beatæ Virginis Mariæ Mysteriis, & Concionibus circa ea conficiendis non minùs conveniunt, quàm Mysteriis Christi, Concionibusque Exornativis de illo; & plura in sequenti Capite dicturus sim, quæ proportione servatâ, utrique Concionum speciei communia sunt, hîc tantùm notandum volo, Mysteria Beatæ Virginis Mariæ dici non tantùm ea, quæ pro illius gloriâ operatus est Deus, scilicèt ejus Immaculatam Conceptionem, Annuntiationem, & Assumptionem; sed actiones etiam, quas ipsamet specialis inspirationis motu, & in ordine ad Hominum salutem fecit, V. G. ejus Purificatio, Visitatio, & Præsentatio in Templo. Non desunt Concionatores, qui laborem fugientes, unam aut alteram tantùm de Beatâ Virgine Mariâ Concionem conficiunt, (scilicèt de devotione erga illam, aut de ejus dignitate,) quàm cuilibet ex diebus Festis, in ejus honorem institutis accommodant, paucis mutatis: sed si verè devotionem erga illam ipsimet haberent, hanc, nî fallor, probarent, Concionem cuilibet ex Festis ejus specialem, componendo. Numquid dicent deesse sibi materiam, ad tot Conciones condendas? Sed audiant Leonem Imperatorem, qui hanc appellat *Panegyrim omnium Sæculorum:* Audiant & R. P. Ludovicum-Franciscum *d'Argentan* Capucinum, qui integrum volumen de ejus laudibus scribens, ait: „ Etsi nullum sit argumentum „ de quo tot prodierint scripta; propè nihil tamen in „ ejus laudem dictum scriptumque fuisse, ex dicendis „ & scribendis, ipsiusque dignitatem abyssum quamdam „ esse, ex quâ quantò plura hauriuntur, tantò plura

„ superſunt haurienda. " Memineris itaque quotidianum vel ſaltèm ordinarium fuiſſe præcipuorum Orientalis Occidentalisque Eccleſiæ Patrum ſtudium & laborem, ut de ejus laudibus ſcriberent, plurimasque Conciones haberent: ſed cave in Concionibus de Myſteriis ejus, à quibusdam loquendi formulis & expreſſionibus, quæ vel Paradoxa continent, vel Paradoxis ſunt proxima: eumque nihil probare ſcito, qui nimis probat. Tantæ enim Virginis merita tanta ſunt, ut ipſis addidiſſe aliquid ineptum, decepſiſſe ſit: nec mendaci ornatu, falſove comitatu indigent. Ubi autem formulis loquendi, expreſſionibusque quibusdam ab Eccleſiâ, vel à SS. Patribus adhibitis uti in Concione tuâ volueris, ità eas, utpotè optimas, adhibebis, ut earum verum ſenſum, (ſunt enim plerùmque, faltèm apparenter, enigmaticæ, & obſcuræ,) aperias, & ità explices, ut Auditoribus, præſertim illiteratis, errandi occaſio nulla præbeatur.

CAPUT TERTIUM.

DE CONCIONIBUS EXORNATIVIS Pertinentibus ad Sanctos.

CIRCA hujus ſpeciei Conciones, (in quibus non ſecùs ac in ſpectantibus ad Chriſtum ejusque intemeratam Matrem, libenter inſudant quicumque Oratoris lauros exoptant,) perpaucæ traditæ ſunt, & pauciores indicatæ Regulæ. Exempla autem illarum inter ſe invicem plurimùm discrepant, non priſcos inter & novos tantùm Concionatores, ſed & inter ipſosmet nobis coætaneos. Caput iſtum quatuor Articulis abſolvemus: ſcilicèt de causâ efficienti, de causâ materiali, formali & finali Panegyricarum Concionum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Panegyricarum Concionum causâ efficiente, seu de Panegyristis.

ASSERIT quidem Longinus Concionatores patheticos ineptiores esse ad Panegyricas Orationes componendas, qui verò ad illas apti sunt, hos ineptos esse ad movendos affectus. Si verum dicat Rhetor ille clarissimus, retrocedent utique non pauci; qui verè in uno genere aliis præstant & diserti sunt, in altero prorsùs desipient. Sed salvâ reverentiâ tanto viro debitâ, ipsi hâc in re non esse assentiendum dico. Non diffiteor quidem ad Concionem vividam & patheticam sivè construendam, sivè pronunciandam requiri in Oratore ingenium acre, igneumque, ad eum in seipso motum cordis excitandum, quem in Auditoribus intendit excitare : ad Conciones verò Exornativas, ingenio opus esse diserto, Festivo, & Eloquentiæ fructibus uberrimo; sed numquid ità inter se pugnant hujusmodi animi dotes, ut in eodem nequeant Concionatore simul adesse, cùm in utroque genere excelluisse constet Marcum Tullium? Bellicas siquidem Pompeii virtutes, Cæsaris clementiam, Poësisque dotes quanto cum sermonis splendore, quantâ cum venustate Eloquentiæ & Elegantiâ Styli commendaverit in Orationibus pro Lege Manniliâ, pro Marcello & Archiâ Poëtâ nemo nescit. Sed quid de Prophanis Oratoribus, cùm Christianos Concionatores, non ex SS. Patribus tantùm, sed & inter ipsosmet nobis coætaneos, & celebres patheticos esse Oratores, & laudatores eximios, experientiâ constet quotidianâ?

ARTICULUS SECUNDUS.

De Panegyricarum Concionum causâ materiali.

CUM in Panegyricis Concionibus passim loquantur Concionatores de Sanctorum quos laudant, virtu-

tibus, donis naturalibus, miraculis, imò & de eorum peccatis & defectibus, necnon & de ipsis cognatione conjunctis, cumque ex cujuslibet præclarè gestis collectum Characterem exhibeant; congruum procul dubio est, ut de singulis Monita Regulasque tradam tibi, Concionator Candidate & hoc, tibi in quatuor Paragraphis mox præstare, juvat. Sit igitur

§. I.
DE SANCTI CHARACTERE.
Quæst. 1ª. *Quid sit?*

AD rectam Panegyricam Concionem necessarium imprimis est Sancti, cujus præconia suscipis adornanda, Characterem proprium exhibeas. Quærenti, tibi ergo quid sit Character? Nunc respondeo esse, „ *Id* „ *quod in totâ Sancti vitæ serie singularius reperitur, in* „ *quo scilicèt ità excelluit, ut ab aliis singulariter distin-* „ *guatur, & talis Sanctus constituatur.* " Vulgò enim dicitur Petri V. G. Characterem esse iracundiam, Pauli mansuetudinem, &c. quia scilicèt ut plurimùm in iracundiæ actus prorumpere solet Petrus; Paulus verò frequentiora, præ cæteris, mansuetudinis specimina præbere. Necessarium autem esse Characterum diversitatis agnitionem discito à Comicis & Tragicis Auctoribus, qui hâc ex cognitione operum suorum partialem arbitrantur venustatem pendere. Quod isti igitur fingunt ex verisimilitudine, confice & tu ex veritate & realitate. Non diffiteor utique neminem Sanctum esse, nisi omnes simul habeat virtutes: sed & verum quoque esse dico nullum, ut plurimùm, inveniri, qui alios aliquâ virtute non antecelluerit: quatenùs virtutes alias omnes in gradu communi possidet, cùm aliis convenit, &, ut ità dicam, commiscetur, & adunatur: quatenùs verò in aliquâ præfulsit, ab aliis distinguitur, & in se constituitur. Hincque exoritur tanta Characterum diversitas in Sanctis, ex quibus vestis sanctitatis Ecclesiæ contexta, polymita, & speciosissima est.

Quæst. 2ª. *Quomodo Character Sancti sit contexendus?*

NEC dicas, *in Sanctorum vitâ*, „ (utpotè ab Historicis Scriptoribus plerùmque confusè narratâ, servato fortè solo temporis ordine,) ità permixta exiberi eorum præclarè gesta, ut ex ipsâ vix educi queat eorum Character. " In promptu enim remedium habes: Historici Scriptoris defectum tolle & aufer, & attentè relectâ historicâ narratione præclarè gestorum, quæ splendidiora, præclarioraque sunt adnota, & Characterem habebis Sancti proprium. Quòd si, ut non raro contingit, de Sancto nihil legatur præter ejus Martyrium, aut tenuem admodùm singularitatem: „ *Numquid*, inquies, *fingenda sunt quæ verè possunt acta fuisse?* " Absit; Poëtæ enim nullatenùs verò Oratoris est fingere, sed tantummodò narrare gesta. Licet tibi equidem ex tibi notis; tanquam ex præmissis, probabilissima gesta conjicere, & quasi concludere, imò & verisimilitudinibus uti; illa tamen nè vendites tanquam certa gesta & indubitata, sed istis, similibusve utere loquendi formulis: „ *Ita suppono: sic ego existimo: fieri ita potuit, &c.* " Ex quibus quidem verissimilitudinibus, & conjecturis, defectu notionum historicarum, (& consequenter specialis Characteris.) specificum Characterem contexes: vel Martyrii scilicèt, V. G. dignitatem, vel præstantian Virginitatis, si de Martyre, aut de Virgine Panegyricam susceperis Orationem, SS. Patrum more, commendabis, Doctrinam deinde, eruditionemque ac sententias, ut infrà dicemus, superaddendo.

Quæst. 3ª. *Quænam sit difficultas Characteres Sanctorum contexendi?*

NEC dicas, „ *non adeò varios esse Sanctorum Characteres, ut similes, imò & gemini* inter se non sint, vel si sint singularissimi, eos jam plurimis abhinc retrò sæculis, & quotannis fuisse Populis exhibitos. " Fateor quidem difficile & laboriosum tibi futurum, ita proprium cujuscumque Sancti Characterem educere, ut ab aliis, similis Characteris, distinctus Sanctus exhibeatur: eà

quòd ut plurimùm sibi invicem conformes reperiantur plurium Sanctorum actiones, eorum vel maximè, qui eumdem vitæ statum cùm elegerint, statui proprias easdem colendas virtutes, ejusdem speciei sustinenda certamina, impedimentaque superanda, & occasiones easdem fidelitatem, vel constantiam, aut charitatem suam demonstrandi, & nobilitandi habuere. Major autem erit tibi in hoc difficultas, si fortè conficiendæ tibi fuerint plurimæ, sibique similes Panegyricæ Conciones. In viris etenim Apostolicis, propè idem extollitur zelus, in Martyribus, eadem fortitudo & constantia, & in Pœnitentibus eædem propemodùm vitæ austeritates. Nec ideò ullus, ni fallor, ex Panegyristis Concionatoribus reperitur qui nesciat quàm difficile sit eadem non repetere, in propriis Concionibus, aut eadem ab aliis jam dicta non dicere. Mirum non est igitur, si plures ex illis non, nisi necessitate compulsi, Panegyricas Conciones aggrediantur componendas. Sed tuum est, Concionator Candidate, tum vetera & ab aliis coætaneis, tum à temetipso jam priùs dicta, novo & vario habitu induta novo aspectui exhibenda curare: periti more Argentarii, vel Fabri, qui eamdem Argenti, Aurive aut Æris materiam, novis, variisque induere formis solet.

§. 2.

DE VIRTUTIBUS SANCTORUM, In Panegyricâ Concione illustrandis.

Quæst. 1ª. *Quænam sit circa illas Difficultas?*

NULLI notum non est Panegyricas Conciones eas esse, in quibus laudantur præclari alicujus viri virtutes & præclarè gesta, sed solis Concionatoribus patet quàm difficile sit, in retexendis nonnullorum laudibus, eorum merita soli Deo plerùmque nota, Hominibus cognoscenda exhibere, actiones quasdam præclarâ Oratione in lucem edere ab ipsismet Sanctis in abscondito de industriâ gestas: virtutesque merè internas, ita illustrare, ut, quæ plerisque Hominum contemptibiles sunt, & à quibus non rarò abhorrent, ab eisdem æstimentur. Nec immeritò; virtutes enim cùm vario modo à Sanctis

colantur, vario pariter sunt cum Eloquentiæ splendore exponendæ à Panegyristis. Quæ aliis sunt splendidiores, facilioris equidem sunt illustrationis; ubi autem illustrandæ Oratori incumbunt virtutes vel quæ sub vilioribus excrevere Ministeriis, vel quarum numquam heroïci & singulares actus prodiere, vel quæ interno opere patratæ non nisi per aliquas minutias in lucem sunt editæ, vel quæ ordinarias gratiæ Leges, transcendunt, irregularisque novitatis speciem habent; tunc necessariò cautè præparandi sunt Auditorum animi, præjudicia subducenda & removenda, perfectionisque earum magnitudo demonstranda est, & arduitas: alioqui finem minimè consequetur gestorum virtutumque præconium. Memineris tamen altitonantis Eloquentiæ pompam non ostentandam, sed solùm pro magnificentiâ & magnitudine majori, minorive de Sanctorum gestis esse loquendum. Nec eorum vestigia premas, qui cujuslibet Sancti virtutes maximas asserunt, Sanctumque magnum, majorem & maximum appellantes hodiè, cras ex ipsismet constat non esse maximum; cùm idem de alio prædicent. Sed istud imprimis adverte, notam Concionatori esse debere intimam virtutum naturam, graduumque perfectionis illarum: notum & multiforme Dei regimen circa servos suos: nota & & dona Divina fructusque Spiritûs Sancti: notas tandem gratias, & gratum facientes gratis datas. Quomodo enim de sanctitate, scientiarum abditissimâ, loqueretur quam ignoraret? Cùmque nonnulla sint in quâlibet scientiâ, quæ absque experientiâ vix percipi possunt, (experientia enim ipsimet acerrimo ingenio impervia pandit,) quomodò, nisi Sanctus ipsemet sis, Sanctos, ut par est, laudare poteris?

Quæst. 2ª. *Quomodo sint illustrandæ?*

QUÆRET forsan quis „ *an rectius sit, magisque* „ *congruum quædam tantùm Sancti præclarè gesta,* „ *in Concione Panegyricâ recolere, & exornare, quàm* „ *omnia simul collecta cursim indicare?* " Primum equidem modum secuti sunt SS. Patres, alterum verò quilibet propè ex coætaneis nobis Concionatoribus ita sequitur, ut alioqui imperfectam suam arbitraretur Con-

cionem; sed scito, eò perfectiorem Concionem Panegyricam esse, quò majorem parit in Auditoribus existimationem & benevolentiam erga Sanctum: idque obtineri utroque modo posse. Aliquandò enim unica virtus eleganti ornatoque sermone illustrata magis præstat, quàm centum virtutes, aliquandò verò centum magis præstant quàm unica: qui autem ingenio pollet, plurimas optimè potest ad unam, aut alteram reducere.

Nec loquacitati minùs commune est quàm Eloquentiæ, prolixam gestorum locorumque & textuum in periodis seriem intermiscere, vel potiùs Eloquentiæ contrarium est, nisi saltèm in prolixâ narratione ità ordinentur & collocentur, ità enucleentur, evolvantur, & coadunentur rationes, gesta & relationes, ut mentem & phantasiam commoveant, delectentque, & ad intentum finem perducant. Nec Auditoribus tuis supponas ità cognitas esse omnes Sanctorum actiones, ut ipsis enigmaticè loquaris: nec ità eas narres, ut nullas ommittendas esse arbitreris; nihil enim dicendum in Concione, nisi quod aptè, discretè & utiliter dici potest.

§. 3.

De Peccatis Sanctorum, nec non et de Donis naturalibus, eorumque Carentia.

Peccata à Sanctis, antè conversionem perpetrata, memorare equidem licitum tibi est in eorum panegyricâ oratione; ex horum enim remissione, Misericordiæ Divinæ magnitudo extollitur; sed cavendum nè ità Pœnitentium statum laudibus prosequaris, ut jugiter Innocentium statui illud anteponas. Quantò magis autem cavendum erit nè tanta de Sanctorum conversione dicas, ut Auditores quasi inducas ad cupiendum Peccatoris statum.

De naturalibus verò, humanisque bonis, nobilitate scilicèt, divitiis, pulchritudine, Doctrinâ licitum est loqui, ut his piè usos fuisse Sanctos demonstres, tanquam instrumentis ad sanctitatem consequendam, vel eos illa alacri corde despexisse: nullatenùs verò ut ex eorum ipsâmet abundantiâ Sanctos extollas laudibus, prout

laudari à mundanis solent divites. Cùm autem obscuritas natalium, divitiarum penuria, ingenii parcitas, cæterorumque humanorum carentia donorum non nunquam conducant ad virtutis exercitationem, Sanctos laudare poteris ob eorum carentiam.

§. 4.

De Sanctorum Miraculis.

NON desunt asserentes in Concionibus hujus speciei silentio prætermittenda esse Miracula, gratiasque gratis datas; quia, inquiunt, meritum eorum non augent: respondeant igitur mihi cur Miraculis servos sibi charissimos illustret Deus? Cur ea exposcat Romana Ecclesia ad Sanctorum Canonisationem? Ego autem hæc assero in Dei gloriam, qui horum Auctor est, vergere; imò & in ipsorummet Sanctorum gloriam, quorum sanctitatem etsi non augeant, manifestant saltèm & ornant, Populorum mentes plurimùm percellunt, & devotionem excitant, utpotè pro particularium utilitate patrata. Quis autem ignorat hæc perpetuum esse, stabile ac fulgentissimum Christiano Catholicæ Religionis argumentum? Ad hujus quippè decorem non parùm conferunt Hæroïcæ Sanctorum virtutes. Cùm autem insuper, naturæ Leges non rarò prætergrediatur Deus, servosque suos ità faciat propriæ potestatis quasi depositarios & Dominos: ut ipsis orantibus, desiderantibus, imò & aliquandò jubentibus, Miracula operetur: hoc ineluctabile profectò argumentum est Divinæ institutionis, promulgationisque, ac protectionis erga Religionem Catholicam; quæ quidem argumenta in quibuscumque sectis adhuc desiderantur. In Panegyricis itaque Concionibus, Miracula recensere licet, sed parcè de illis loquendum, adeò ut de Sanctorum virtutibus primùm dicas, quarum gratiâ Miracula à Sanctis, vel potiùs à Sancto Sanctorum operantur.

ARTICULUS

ARTICULUS TERTIUS.

De Panegyricarum Concionum Forma, seu Constructione.

AD Concionis Panegyricæ formam ſpectant Propoſitio, Narratio & Expolitio: circa quæ cùm plura ſint ſcitu neceſſaria, hæc totidem Paragraphis perſtringenda ſunt. Unde ſit

§. I.
DE PROPOSITIONE IN PANEGYRICA CONCIONE.

Quæſt. 1ª. *Quænam ſit ejus neceſſitas?*

IN hujus ſpeciei Concionibus, non ſecùs hac in aliis, antè omnia ſtatuenda eſt Propoſitio, quæ dividitur & ſubdividitur, eſtque Concionis quaſi fundamentum & baſis, Concionem enim Panegyricam de Sancto non conficit, qui ejus vitæ præcipuarumque actionum ſimplicem contexit Narrationem; ſed qui eas ad quædam Capita reducit, ad quæ referuntur quæcumque in vitâ Sancti præclariſſima ſunt & maxima. Nec dicas „ *de* „ *Exordio eſſe primò curandum cùm ſit Concionis principium*, „ Exordium enim ad Propoſitionem eſt dirigendum: quomodo autem dirigetur, ut jam diximus ad Propoſitionem non dùm inventam? Quis niſi rationis uſu carens, iter aggreditur neſciens quò vult ire? Quis ſapiens Sartor pannum incidit pro veſte viri cujus ſtaturam prorsùs ignorat? Sic & tu, niſi priùs Sancti laudandi vitæ Hiſtoriam calleas, fruſtra de nobili Propoſitione inveniendâ cogitabis, fruſtrà & de Exordio.

Quæſt. 2ª. *Quales fuerint veterum Propoſitiones in Panegyricis Concionibus?*

CIRCA Propoſitionis qualitatem veteres ſi legas; ſimplicitatem in iis reperies: tales ſunt apud Iſocratem, Ciceronem, Plinium & SS. Patres: vixque quinque aut ſex tot in Orationibus invenies, quæ majeſtatem ſapiant aliquantulam. Nec dicas „ *Sanctos Patres*

„ *familiariter fuisse in Concionibus suis locutos, nec Pane-* „ *gyricis hodiernis Concionibus hanc congruere simplicita-* „ *tem.* " In ipsâmet siquidem Orationum suarum simplicitate, & familiaritate, Eloquentiæ suæ splendorem nervumque totaliter inpendebant. Quid elegantius quàm Jsocratis de Athenis, & Plinii de Trajano Panegyricæ Orationes? Prior tamen simpliciter ait se de Athenarum velle prærogativis dicere: Posterior se de Trajani meritis verba facturum. Esto tutior sit veterum methodus, cui sola necessaria erat Oratoria Elegantia, at modernorum est venustior.

Quæst. 3ª. *Qualis debeat hujus esse rectitudo?*

UT autem venusta sit, debet esse & recta Propositio, rectitudo autem ejus in ejus unitate, quæ cæteris Concionum speciebus est communis, sita est: requiritur itaque aliqua Propositio, vel veritas, vel virtus, quæ in sua membra & partes dividatur. V. G. De S. Joanne Baptistâ dices: *Ipsum esse magnum coràm Domino:* En Propositio. Dices deindè *magnum fuisse* 1°. *per Ministerii sui*, scilicet Præcursoris Domini, *dignitatem*: 2°. *per Pœnitentiæ suæ rigorem*, *vitæque austeritatem*: 3°. *per suam in Herode incestuoso arguendo, constantiam.* Et ecce Propositionis in sua membra Divisio, in quâ reperitur specialis Sancti Character.

Quæst. 4ª. *Undenam sit desumenda Propositio?*

Undè desumenda sit Propositio.

DESUMES autem Propositionem, vel ex statu in quo vixit Sanctus à te laudandus, vel ex munere, aut Ministerio quo functus est: V. G. si fuerit Episcopus, aut Doctor, aut Apostolus, Ministerium illius divides in præcipua officia & debita ipsi annexa, quibus dices Sanctum illum præclarè functum fuisse: cùm autem ideò statuenda sit Propositio ut ordinatè distribuantur Sancti præclarè gesta, conformis utique esse debet statui, sexui, munerique & actionibus in quibus sanctitatis specimen præbuit singulare. Si verò Propositio sit de unicâ aliquâ virtute in quâ excelluit Sanctus, V. G. de charitate, hanc virtutem vel divides

in ſuas ſpecies, vel respectivè ad occaſiones in quibus potiſſimùm neceſſaria eſt: ita tamen ut ex Propoſitione illâ, generalem ſtatim habeat Auditor de Sancti Charactere ideam. Si verò quæras, „ *An pro Concionis Pro-* „ *poſitione, unicam tantùm ſingularemque actionem à Sancto* „ *præclarè geſtam aſſumere poſſis prout laudaretur V. G.* „ *dux eximius qui victoriam inſignem retuliſſet, vel qui* „ *prudentiâ ſuâ ſingulari ſusceptum aliquod maximi mo-* „ *menti conſilium ad optatum finem perduxiſſet.* " Reſpondeo nullam in hoc eſſe difficultatem, ubi nihil aliud haberes de Sancto illo dicendum, niſi V. G. de certamine & morte alicujus Martyris de cujus vitâ nihil certi habetur; tunc enim ad moralem confugiendum eſſet, ut Concionis rectam Propoſitionem, Concionemque tuam Complere poſſes & perficere: idem dico, ubi ad præcipuam ſingularemque Sancti actionem, cæteræ omnes facilè referri poſſent, prout quiquid præclarè geſſit S. Andreas, reducitur ad ejus amorem & deſiderium Crucis, ſeu patiendi pro Chriſto.

Quæſt. 5ª. *Quinam ſint Defectûs vitandi in Propoſitione?*

HINC utique colliges rectam non eſſe Concionem Panegyricam duas treſve complectentem virtutes Sancti laudandi quarum nulla eſt unio; nulla Proportio, nullaque relatio ad univerſalem Propoſitionem, ex quâ Concionis Ichnographia conſtituitur, V. G. ſi de S. Antonio cujus omnia præclarè geſta ad ejus tentationes, ſolitariam vitam & jejunia reducuntur, hæc tria non includeres in aliquâ Propoſitione genericâ, ſeù ſub aliquo conceptu his communi, recta profectò Concio tua nequaquàm eſſet. Primus Defectus.

NON ſufficit tamen ad Concionis rectitudinem relatio & proportio partium dividentium ad unam propoſitionem univerſaliorem; debet inſuper in Propoſitione illâ inveniri Character Sancti proprius; nec enim tanquam Apoſtolus exhibendus eſt V. G. ſolitarius qui precibus equidem ſuis ad Populi alicujus converſionem contulit, hunc tamen non docuit per Conciones cum zelo habitas; quod enim per ſuas preces contulerit, dici poteſt tan- Secundus Defectus.

quam exemplum charitatis Sanctum constituentis : ad Apostoli verò Characterem requiritur aliquid singularius, magisque congruum ideæ quam quisque habet de zelo Apostolico quin imò includere debet Propositio aliquid, si possit, singulare, quo distinguatur Sanctus ab alio: vel quo saltèm intelligatur ipsius non eandem omninò fuisse, ac aliorum ejusdem statûs, vivendi rationem: quæ quidem si in ipsomet textu distinctio reperiatur, præclara erit quidem Concionis Ichnographia. Sed hoc, si semper, & in quacumque Concione volueris adhibere, & tibi onerosum erit nimis, & vix in Propositione invenies undè justam Concionem compleas. Per hoc excluduntur Propositiones genericæ, quæ omnibus propè Sanctis possent accommodari. V. G. si de aliquo diceres, vel *fuisse divinæ Legis perfectum amatorem*, vel *in salutis suæ negotio vigilantissimum*, vel *sæculi scandala vitasse*.

Tertius Defectus.

NOBILE quid præstereà, & altum in Propositione inveniri debet, quo & statim percellatur Auditor, & ad aures Concioni præbendas alliciatur: simulque Concionatori locum præbeat Concionem nobili præclaroque Stylo prosequendi sed cavendum à contrario vitio, nè scilicet, speciosa nimiùm & splendida sit Propositio, de quâ quidem inveniendâ minùs, quàm de complendâ, curare debes, dummodò sit naturalis. Cumque plurimi sint qui cuilibet statim menti occurrunt Sanctorum Characteres, non secùs ac Propositiones & harum divisiones, has noli rejicere, etsi jam ab alio Concionatore assumptas: sicut neminem piget easdem actiones Sancti jam ab aliis narratas, iterùm narrare; per modum enim, quo Propositionem eandem amplificabis, satis tua, ab aliorum Concione distinguetur.

Quartus Defectus.

§. 2.

DE NARRATIONE IN PANEGYRICA CONCIONE.

Quæst. 1ª. *Qualiter debeat fieri?*

ASSUMPTA Propositione, statutâque ejus divisione ad ejusdem Probationem properandum est, ut jam diximus, & hæc à Rethoricâ *Narratio* nuncupatur. Inter alias autem ab Aristotele, Cicerone, & Quintiliano fusiùs traditas de Narratione in Panegyricis Orationibus Regulas,

unam hic recenseo, quâ suppositâ plures intelligantur in Panegyricâ Concione de Sanctis Defectûs adesse in Narratione „ *Debet*, inquit Aristoteles, *in hujus modi Concionibus „ Narratio fieri non tota simul & sine intermissione sed per „ intervalla & per partes.* “ Sive 1°. quia si tota simul fieret Narratio omnium præclarè gestorum Sancti, cùm diversæ sint speciei, & ad diversas virtutes referantur cùmque de singulis virtutibus diversa dederit pluribus datis occasionibus specimina, onerosum nimis Auditori esset, si cogeretur in memoriam revocare vel ea quæ in tali occasione dixit Sanctus, ad probandum quantâ fuerit prudentiâ præditûs: vel quæ in aliâ datâ occasione, ut demonstretur quanta ejus fuerit animi fortitudo: vel quæ egit alio tempore, ut probetur quàm justè & rectè egerit. Sive 2°. quià gestorum narratio inter se nullatenùs conjunctorum, sed fortuitò occurentium negotiorum occursu, plùs simplicitatem redolet historiæ, tempora circumstantiasque servantis, quàm Panegyricæ Orationis Elegantiam, quæ gesta præclarè ornat. Noli igitur quasi non intermissâ respiratione, à Nativitate Sancti usque ad ejus mortem Narrationem gestorum contexere, sed hanc intercide vel per adhibitum aliquod exemplum, vel per aliquam S. Scripturæ accomodationem, vel per reflexam moralitatem, vel per aliquod Religionis Christianæ præceptum à Sancto observatum, vel per aliquod tandem ex Theologiâ depromptum Ratiocinium quo probatur vel confirmatur assumpta Propositio. Ubi verò Narrationem opus erit amplificare per aliqua Historiæ Prophanæ loca, (proùt in istis potiùsquàm aliis Concionibus licitum est,) hæc solummodò addes per modum comparationis Christianorum inter & Paganorum actiones, ita ut Christianorum probes præstare Paganorum gestis ejusdem speciei. An autem & quomodò narrare possis & debeas Sancti quem laudas præterita Peccata & Miracula, vide suprà in præcedenti Articulo.

Quæst. 2ª. *Quinam sint vitandi Defectus in Narratione?*

Primus Defectus. SUNT nonnulli qui Narrationem ita intercidunt, ut Panegyricæ Concionis natura immutetur, per vicissitudinem scilicèt moralitatis ipsâmet Sancti gestorum Narratione prolixiorem; non solùm enim circa quamlibet specialem virtutem annotationes reflexas faciunt, sed & indè occasionem arripiunt contra mores Christianorum, contra hodierna scandala, aut peccata insurgendi. V. G. Paucis probant feliciter educatum fuisse Sanctum in suâ juventute, moxque fusiùs dicunt de Puerorum educatione: & ità de singulis Sancti gestis ex quibus suppeditatur aliquod instructionis, vel objurgationis argumentum. Horum cave nè vestigia premas; si enim rectus habendus sit talis narrandi modus, ut quid hùc usque apud Concionatores, Panegyricæ Conciones præ cæteris quibuscumque visæ sunt difficillimæ? Quid enim facilius esset quàm plurimas brevi conficere hujusmodi, quarum unica, mutato nomine, plurimorum accommodari potest Sanctorum præconiis?

Secundus Defectus. SUNT & alii qui prolixioribus principiis, quæ probant & amplificant Concioni suæ præmissis, (quæ ab aliis solent in fine subjungi,) paucis tantùm dicunt hæc à Sancto, quem laudant gesta fuisse, quod cùm brevi unius alteriusve actionis ejus Narratione probaverint, moralitatem tandem subjungunt, quâ Auditores ad similia peragenda inducantur. Alii denique digressionibus, vanis annotationibus, incognitorum Scriptorum dictis &

Tertius Defectus. sententiis Concionem infarciunt. Tu verò à triplici hoc Defectu cave; exornatisque præcipuis Sancti virtutibus, gestisque Concionis divisionem constituentibus, cætera minoris momenti, per congeriem narrabis, ut idem præstet horum multitudo, quod aliorum majoris momenti parvus numerus præstaret: & quamlibet Concionis subdivisionem claudes per moralem conclusionem; naturaliter ex probatis, & narratis fluentem, quâ quicumque ex Auditoribus in simili statu, circumstantiisque paribus, constitutis ad easdem virtutes colendas excitetur. Nec dicas „ *aptiorem esse ad movendam, acrem vividamque*

„ *moralitatem, quàm gestorum præclara artificiosèque exor-* „ *nata Narratio.* " At Memento exemplum præclarè gestorum, ex naturâ suâ maximè suasibilem esse ad benè agendum exhortationem, paremque earum vim esse, sivè cùm à Sanctis coram nobis fiunt, sivè cum egregiè facta narrantur. Sed vide plura infra, ubi de hujus speciei Concionum fine. Hîc autem adhuc nota vel breves tantùm, vel nullos admittendos esse Dialoguos in Panegyricis Concionibus.

§. 3.

DE CONCIONIS PANEGYRICÆ EXPOLITIONE ET STYLO.

Quæst. 1ª. *Quales debeant esse?*

OMNIBUS quidem notum est majorem requiri in Panegyricis, quàm in aliis Concionibus Eloquentiæ venustatem, solertioresque loquendi formulas ac Stylum magis floridum, & excelsum. Scito tamen, maneatque tibi altâ mente repostum, non in verbis sed in rebus sitam esse Eloquentiam, & per fulgentiores dicendi formulas sensu vacuas, plenas verò affectatione Concionem non modò non ornari, sed & deturpari, rectèque dictum fuisse ab Oratorum principe Tullio, " *Rebus di-* „ *cendis conformanda verba esse, non verò res verbis ap-* „ *tioraque esse verba simplicia & nativa, ut potè res cla-* „ *riùs explicantia, quàm fucata.* " Nihil equidem vile, & repens adhibendum in Concione præsertim Panegyricâ: non tamen omnia splendidè & magnificè exprimenda sunt. Sicut itaque opposìtu mutuo, ac veluti pugnâ luminis & umbrarum in picturâ, colorum vis excitatur vehementiùs emicat illustriùs eminentiaque picturæ nascitur, itá ut quod præcipuum est in tabulâ objectum oculis exhibendum magis elucescat: sic & in quâcumque Concione congruum est ut aliqua minùs eleganter elaborata reperiantur, justà que alia elegantius elaboranda cum posita sint magis elucescant; præparandi quippé sunt ad ista Auditores, per ea quæ minorem attentionem merentur; alioqui lumine nimio potiùs oculi perceltuntur quàm ad præcipua tabulæ lineamenta attendant. Et hoc in elegantissimis veterum Orationibus intuemur, in quibus egregiè admodùm *figuræ* & ornamenta

conſperſa cernuntur ſuoque loco debitè ordinata.

Quæſt. 2ª. *Quinam ſint in Expolitione & Stylo vitandi Defectus?*

Primus Defectus. ELEGANTIOR equidem & ſplendidior debet eſſe Concio Panegyrica, non ità tamen ut Accademicis Orationibus ſit ſimillima. Simplici igitur & ut ità dicam, auguſta majeſtate, ac venerando Stylo eget, non verò conciſo, antitheſibusque pleno, & acutè dictis, quæ nec capere poteſt quilibet Auditor, nec quidquam ex illis memoriâ retinere, niſi ideam confuſam, ita ut Concionatoris potiùs ingenium miretur, quàm Sanctum cujus laudes audit. Quomodo ergo ad Sancti virtutum præclarèque geſtorum imitationem Auditor excitabitur, quæ non niſi per ſpeculum, & quaſi in enigmate videnda ſibi exhibentur.

Secundus Defectus. NEC minori profectò ſtudio cavendum nè in Satyras erumpat Eloquentia tua, quid enim ineptius quàm nunc contrà particularem perſonam familiamve, nunc contrà ſexum fæmineum aut maſculinum, nunc contrà ſtatum Eccleſiaſticum; nunc ſæcularem; nunc Monaſticum, nunc militarem aut forenſem; nunc contrà Nationem aut Provinciam, aut Urbem mordacibus dictis, & linguæ jaculis Chriſtianum Concionatorem audire, dùm Sanctorum virtutes laudibus extollit, in loco Sacro pungentem? Quid charitati magis contrarium pro quâ tanta paſſi ſunt, imò & vitam ipſam, ac ſanguinem effundere non dubitarunt Sancti quos laudas?

Tertius Defectus. CAVE pariter ne illorum exemplum ſequaris, qui ut Sanctorum præclarè geſta magis elucefcant, ipſorum tempora & Patriam ita deſcribunt, ut ſi ipſis credatur, nec pejor unquàm Regio fuerit, nec ſæculum nequius poſſit excogitari, in quo ſcilicèt majora viſa ſint ſcandala, craſſior ignorantia, malitia effrenatior, odia, furores perturbationesque, contemptus Legis & alia hujus modi: ſed plerùmque non tanta fuere quanta deſcribuntur.

ARTICULUS

ARTICULUS QUARTUS.

De Panegyricarum Concionum Fine.

Quæst. 1ª. *Quis sit earum Finis quærendus à Concionatore?*

DUPLICEM esse Concionum Panegyricarum finem docet D. Joannes Chrisostomus dicens: „ „ Nemo est qui nesciat Martyrum glorias ad hoc Divino „ Consilio à Dei Populis frequentari, ut & illis debitus „ honor dicetur, & nobis virtutis exempla, favente „ Christo monstrentur..... Quo possimus etiam ipsi „ talibus provocari exemplis, virtute pari, devotione „ consimili, ac fide, ut Christo præstante, dimicare & „ vincere hostes possimus, ut partâ victoriâ, cùm iisdem „ Sanctis in Regnis Cælestibus triumphemus. „ Primarius itaque hujus speciei Concionum finis est Sanctorum gloria: non illa utique quam, definiente Ecclesiâ, universâque ac venerabili Theologorum plaudente Synodo, per suam beantem manifestationem ipsis aliundè impertit Deus; sed gloria quam accidentalem, transitoriamque vocant, quæ Sanctis obtingit ex obsequiis Fidelium à quibus coluntur. Eumdem ob Finem ab Ecclesiæ, ut ità dicam incunabulis, quorumcumque præclarissimorum virorum invecta fuere solemnia. Nec immeritò; quis enim dignior laude est, quàm qui viventes in terris laudes omnes flocci fecere, ut eas soli Deo referrent: qui obscuritatem abjectionemque quæsiere, virtutem verò non propter se, sed propter Deum constanter coluere? Quis verò lacrymis dignior quàm Concionator? Qui in conficiendis Sanctorum Panegyricis Orationibus, aut Auditorum intendit mentes tantummodò delectare, aut eorum plausûs laudesque sibi emendicare, aut eorum solam admirationem excitare? Non alium quidem ob Finem solent à Prophanis Oratoribus, præclarorum virorum præconia exornari, nisi ut Auditoribus magnam erga illos ingerant existimationem, glo-

Serm. 1. de Mart. T. 3.

riamque ex illâ resultantem ipsis procurent: à Sacris autem Oratoribus ideò laudes Sanctorum panguntur, ut simul Auditores ad eorum imitationem inducantur dicente Augustino: „ Solemnitates Martyrum exhortationes sunt Martyriorum; ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.... Qui enim Sanctos Martyres, in quantùm poterit, imitari noluerit, ad eorum Beatitudinem non poterit pervenire: Si verò fuerimus socii passionum, erimus & consolationum. Sed dicet aliquis: Et quis est qui possit Beatorum vestigia sequi? Huic ego respondeo, quià non solùm Martyres, sed etiam ipsum Dominum, cum ipsius adjutorio, si volumus, possumus imitari. " Si itaque raro Auditores imitentur Sanctos quorum præconia audiunt, videant Concionatores nè hoc ideò sit, quia advertunt ipsos suam potiùs quàm Sancti Panegyricam Orationem retexere.

Serm. 47. de Sanctis.

Quæst. 2ª. *Quomodo Finem hunc possit Concionator consequi?*

LICITUM equidem est Sanctum, cum Sancto conferre: cave tamen nè ut Auditoribus tuis majorem erga Sanctum, quem laudas, existimationem ingeras, uni præ altero primas des, exceptis Beatâ Virgine Mariâ quæ sanctitatis prærogativâ Sanctos omnes antecellit: & Beato Joanne-Baptistâ, quo inter Natos Mulierum testatur Christus non surrexisse majorem; citra revelationem enim scire nemo potest unius merita, meritis alterius majora esse, gloriâque fuisse in Cœlis majori coronatum. Nec dicas „ *Exteriora præclarè sanctèque gesta, unius præ alio majus meritum indicare.* " Non enim ab exterioribus, sed ab interioribus potissimùm virtutum actibus, pendet sanctitatis qualitas: „ *Omnis enim gloria ejus Filiæ Regis ab intùs, in fimbriis aureis circum amicta varietate,* " canit Regius Psaltes. Solius autem Dei est scrutari renes & corda, & consequentur solus novit cujusque Sancti majora minorave merita. Eos tamen dicere tibi licet, tanto majori esse sanctitatis splendore fulgentes, quantò magis imitatores fuere Christi. An fuerit, nemo scit nisi Filius Hominis, &

Psalm. 44.

cui voluerit revelare. Major Sanctis gloria conciliari non poteſt, quàm cùm Hominibus deſiderium eos imitandi ingeritur. Hoc præſtabis, Concionator Candidate, per inſtructionem & incitamentum. Inſtructionis cùm Auditoribus demonſtratur in Concione Panegyricâ quænam ſit vera & ſolida virtus, per quoſnam gradûs ad eam eumdum ſit, quibus & comparanda ſit mediis, habitâ ratione ad ætatem, ſtatum & conditionem. Excitabis autem ad imitationem Auditores vel virtutis demonſtrando eis pretium, utilitatemque ac ſuavitatem, vel graviora urgentioraque indicando motiva, quibus & ad virtutem incendantur, & à contrario vitio retrahantur. Præſtabis & hoc, Dæmonis fraudes detegendo, gratiæ auxilia prædicando, mercedis ſimul propoſitâ magnitudine, & adjunctis Monitis, Exhortationibus ac redargutionibus Auditorum captui, ſtatuique accommodatis.

Et hoc quidem vel abſque fuco & figuris conſequi poteris, prout fit in Concionibus purè moralibus, vel quaſi ſub aquâ, ut aiunt, & ſub terrâ gradiendo, ideſt ità, loquendo, ut non videaris velle inſtruere & monere. Sed hoc ſecundo modo ſi utaris, etſi plura dicas quæ Auditoribus exhibent vel ſtrenuum mundi contemptum, vel pœnitentiam, vel charitatem, vel alias virtutes, non percellentur, nec ad imitationem incendentur; ad ſummum mirabuntur, non verò inſtruentur, niſi his accedat excitatio de quâ mox dixi. Noli tamen abſtinere à rebus admirationem excitantibus, ſed dic in Sanctorum honorem admirabilia, ad Audientium verò utilitatem imitabilia.

CAPUT QUARTUM.

De Concionibus Exornativis Funebribus.

Quæſt. 1^a^. *Quomodò à Panegyricis differant?*

PANEGYRICIS finitima eſt Oratio Funebris; in eoque tantum diſcrepant, quod in illis laudantur viri quorum merita jam Auditoribus nota ſunt; eò quòd

ab Ecclesiâ vel Beati dicti sint, vel inter Sanctos adscripti: in Orationibus verò Funebribus laudantur viri de quorum non numquam æternâ Beatitudine, non sine fundamento, dubitari potest; esto non nulla dederint, dum viverent, virtutis alicujus exempla. Quidquid igitur de Materiâ, Formâ, Expolitione, Narratione & Fine Panegyricarum Concionum suprà dixi, servatâ proportione, dici cùm possit de Funebribus Orationibus, non nulla tantùm hic subjungo Monita circa illas.

Quest. 2ª. *Quænam sint in illis difficultates?*

LAUDARI equidem post mortem quicumque laude dignus potest: qui verò numquam benè vixere, nec horum præconia extolli patitur Religio, in loco Sacro, coramque Sacris Ecclesiæ Ministris Mysteria Sanctissima peragentibus: nec ullibi sinit probitas; ex Auditoribus enim quibus laudati vita moresque noti sunt, nullus esset qui intùs immeritas laudes non refelleret, Oratoremque mendacii & adulationis non argueret. Magnatum tamen plerùmque occurrunt retexendæ Funebres Orationes, qui publicis ut plurimum peccatis, & vitiis, Populis scandalo præfuerunt potiùs quam virtute, saltem Christianâ. Quis viros igitur vitiosos, aut saltèm imperfectissimos, laudare aggreditur in loco Majestate Divinâ repleto? Et quomodò laudabit, omni adulatione remotâ, quæ & ubique ignaviæ vitium est, & in sacro pulpito sacrilegium & nefas? Si virtuosus fuerit vir magnus vitâ functus, magnæ hujus virtutes utique sunt, publicoque præconio dignissimæ; quò enim dignitate aliis præfuit, excellentiori, eò majora habuit superanda sanctitatis impedimenta, altioresque fixit pietas ejus radices. At quantò rarius mirabiliusque est, præclara pro Deo à simplicibus, plebeiisque viris patrari, tantò mirabilius & rarius est magnates inveniri qui in simplicibus, plebeiisque Religionis virtutum actibus seduli fuerint: & hæc nihilominùs sedulitas laudanda est. Non absque causâ igitur, imò prudentissimè agit eximius quisque ac timoratus Orator, hujus speciei Exornativas Conciones oblatas respuens; sunt quippè non Eloquantiæ solius, sed & pietatis simul ac sinceritatis, veritatisque inevitabilis scopulus.

Quæst. 3ª. *Quænam sint in iis vitanda?*

TU verò si has condendi incumbat tibi necessitas, à scopulo illo cave. Cave & ab adulationis ignaviâ, noli mundanæ vanitati indulgere, nec vitiis Audientium immeritis ementitisque laudibus favere, & ullatenùs patrocinari, nec bonorum naturalium divitiarumque nimiam sitim infrunitis præconiis accendere.

NISI sufficientem tibi dicendi materiam suppeditet vita defuncti, noli fingere, nec dubia, incerta, quantò minus & falsa excogitare; sed memento neminem adeò bonum esse, qui aliquo non laboret defectu: neminem verò è contrà adeò malum, ut nihil in eo boni elucescat. Scrutare igitur defuncti gesta & dicta, labores; & si quid passus sit, & habebis undè Orationem compleas veracem & frugiferam: si verò vitiis quibusdam irretitus fuerit, notis Auditori, hæc noli dissimulare; sed his aliqualiter indicatis, ingemisce super humanâ fragilitate: Divinam precare clementiam ut hæc ei dimittat, Auditores mone ut propriam timeant fragilitatem. Ubi autem recens & sensibilis defuncti jactura fuerit, verba subministrabit idonea ipsemet dolor, venerandamque & augustam diffundet tristitiam, figurisque & motibus variis exornandi Orationem modum docebit. Plura vide in Rhetoricâ non Sacrâ, circà hujus speciei Conciones.

CAPUT QUINTUM.

DE CONCIONIBUS EXORNATIVIS MONASTICIS.

CIRCA Conciones Monasticas, seu, ad statum Religiosum spectantes, quærendum nobis est quid sint? Quis earum finis? Quæ earum materia? Et tandem quæ notanda sint circa earum formam; & hoc quatuor sub Articulis manifestabó. Sit igitur

ARTICULUS PRIMUS.

De Monasticarum Concionum Natura.

CONCIONUM hujus ſpeciei naturam ſat ſuperque aperuiſſe me tibi arbitror cùm indicavero 1°. undè ortum habuerint & in quo differant à Funebribus? 2°. Cur inter Exornativas potiùs quàm inter purè Morales ſint adnumerandæ: & hoc duplici Quæſtione patebit quarum prima ſtatim incipit.

Quæſt. 1ª. *Undè ſint, & in quo à Funebribus diſcrepent Conciones Monaſticæ?*

CONCIONUM Exornativarum ad Statum Religioſum ſpectantium nomine; hìc eas intelligo, per quas laudibus, ut par eſt, extollitur ſolemnis renunciatio mundo, & Conſecratio Deo facta à Virginibus utriusque ſexûs, per vota Religionis ſolemniter emiſſa. Cùm autem celeberrima hæc Religionis ceremonia celebrior effici ſoleat in toto orbe Chriſtiano per Conciones, quarum una fit die Aſſumptionis Religioſi habitûs, alia verò die Profeſſionis; congruum eſt ut ſcias cur inter Exornativas potiùs, quàm inter Morales adſcribantur hujus claſſis Conciones, & in quo differant à Panegyricis & à Funebribus; ut indè colligas quomodò fabricandæ ſint. In hoc ergò potiſſimùm à Funebribus diſcrepant quòd 1°. Per Funebres Conciones celebrantur laudes magnatum vitâ functorum, ut cognatis, affinibus, amicisque, ac ſubditis eorum, conſolatio aliqua afferatur de eorum amiſſione, & ad eorum virtutes imitandas excitentur: undè earum Exordium mœroris & luctûs plenum eſſe debet, & in totâ Concione vitandum eſt quidquid gaudium parere poſſet. 2°. Propriè non pertinent ad Eloquentiam Sacram, ſed cùm his aditum ad Sanctuarium præbuerit reverentia ergà magnates, & has confirmaverit ſensìm uſus, has tandem Religio ſacravit.

Quæst. 2ª. *Cur inter Exornativas ad numerandæ sint?*

PER Conciones verò ad Religionis ingressum, & Professionem spectantes 1°. Eorum celebrantur laudes qui ut securiùs moriantur voluntariè se à cognatis, affinibus & amicis sæcularibus segregant, renuntiantque omnibus sæculi voluptatibus, bonis & honoribus, priùsquàm his per mortem, velint, nolint, priventur. 2°. Conciones istæ semper adnumeratæ sunt inter Sacras quia etsi in aliquo differant à Panegyricis, ipsis tamen affines sunt, differunt in hoc, quod per Panegyricas, celebrantur laudes eorum qui cùm ex hoc sæculo transierint, etsi inter Sanctos sors illorum sit, & exultent in gloriâ, majorem tamen nec sanctitatis nec gloriæ gradum possunt adipisci: per Monasticas verò de quibus hîc agimus. Laudes eorum celebramus qui secundùm propositum vocati sunt Sancti, & de quibus scriptum est: (*a*) „ *Qui justus est, justificetur adhùc: & Sanctus sanctificetur* „ *adhùc.* " Per illas laudantur Sancti de heroïcis virtutum actibus, per quos cùm operati sint justitiam, adepti sunt æternas repromissiones: per istas verò laudibus extolluntur adolescentulæ & adolescentuli, qui jugum Christi portare statuerunt ab adolescentiâ suâ, & quærere societatem passionum ejus, configurati morti ejus, si quomodò occurrant ad vitæ Resurrectionem, æternæque gloriæ bravium. Non quòd jam acceperint, & jam Sancti sint: sequuntur autem si quo modo comprehendant, in quo & per singularem prædilectionem comprehensi sunt à Christo. Non arbitrantur se sanctitatem adeptos sed quæ retrò se sunt obliviscentes, ad ea verò quæ priora, se extendentes & perfectiora, ad æternum bravium supernæ vocationis Dei prosequuntur. Ideò Statum Religiosum aut ingrediuntur per solemnem votorum emissionem, aut ingredi cupiunt habitum illius induentes, ut idem sapiant, & in eâdem permaneant Regulâ, ut imitatores sui institutoris sint, sicut & iste Christi. Ergo non sine causâ Monasticæ Conciones, inter Exornativas adscribuntur, & patebit hoc pariter ex dicendis in sequenti Articulo.

(a) Apocal. C. 22.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Monasticarum Concionum Causa Finali.

Ex mox dictis collige, Candidate Concionator, circa istarum compositionem te attendere debere ad dicta suprà ubi de Panegyricis Concionibus. Hîc autem unicam propono Quæstionem, scilicet.

QUÆSTIO UNICA.

Quisnam sit Exornativarum Religiosi Status Concionum Finis?

Harum Finis spectari potest respectu, 1°. Religionis habitum induentium. 2°. Religionis vota emittentium. 3°. Professorum utriusque sexûs, Ordinis in quo novi Fratres, Sororesve aggregantur. 4°. Aliorum Novitiorum, Novitiarumve. 5°. Parentum. 6°. His Religionis ceremoniis adstantium inter quos reperiuntur non numquàm. 1°. Religiosi alterius Ordinis, aut Ecclesiastici Viri. 2°. Sæculares qui jam statum vitæ sæcularis amplexi sunt. 3°. Qui de amplexando sivè Ecclesiastico, sivè Religioso statu cogitant, sed adhuc indeterminati sunt. Finis autem Concionum hujusmodi est, ut hi omnes plùs minùsve erudiantunr de sibi agendis. Ut alii discant exuendum esse sibi unà cum habitu sæculari, veterem Hominem cum actibus suis, & induendum novum: & vota Religionis emittentes discant, inutilem esse corporis ingressum intrà Monasterii claustra, si foris cor remanserit, adhùc sæculi quærens gaudia: ut discant Proffessi quorum habitum induunt Novitii, væ sibi fore, nisi per probationis saltèm annum, talia iis dederint virtutum Religiosarum exempla, quibus ad Professionem statuto tempore emittendam inducantur, vel saltèm ab emittendâ non avertantur: discant verò alii Novitii debere se in virtutis & perfectionis Palæstrâ eos præcedere exemplo, quos præcesserunt ingressu: ut discant Parentes ingredientium, vel vota emittentium,

non

non à carne & ſanguine ſuppeditandos eſſe ſeu Miniſtros Altaris, ſeu Virgines Agnum quòcumque ïerit ſecuturas, ſibique timendum eſſe terribile judicium, ſivè vi, minis, fallacibus blandimentis, aut apertis perſecutionibus filios ſuos ad ſtatum Religioſum induxerint non vocatos à Deo: ſivè vocatos ab eodem ſtatu deterreant, & utroque modo filiorum ſuorum animas ſe eſſe interfecturos: diſcant verò adſtantes omnes Eccleſiaſtici, & communes ſibi cum Profeſſionem emittentibus obligationes eſſe, & multò majoribus jactatos ſe eſſe in ſæcularium medio, quorum animas dirigunt, periculis, quàm vota Religionis edentes in clauſtro abſque animarum curâ: ut diſcant adſtantes, qui jam ſæcularem elegerunt vitæ ſtatum, non minùs ſibi eſſe timendum, juxtà Chriſtiani dignitatem non viventibus in ſæculo, quàm Religioſis in clauſtro ad promiſſæ perfectionis apicem non anhelantibus: ut diſcant tandem alii qui adhuc vitæ ſtatum non elegere, timendum ſibi pariter eſſe, nè aut abſque vocatione eligant, aut vocati ad clauſtri ſtatum, tardiùs manum ad aratrum admoveant, ſolis ſæculi illecebris impediti, quibus tot alios aliasve juniores ſe vident valedicentes, ſibique exemplo ſuo clamantes: cur non poteſtis nùnc, quod & nos & nobis ſimiles?

Finis enim cujuſcumque Concionis eſt, omnibus has Audientibus prodeſſe juxta argumenta de quibus habetur; quæ autem vel Religioſi habitûs ſumptionem, vel alicujus Profeſſionem comitantur Conciones eò ſunt ad erudiendum aptiores, quòd per actuale Novitiorum vel Religionem ingredientium exemplum magis quiſquis Auditor movetur. Ut autem tam optandum conſequaris finem, congruentia eligenda ſunt hujuſmodi Concionibus argumenta. Hinc quærenti tibi à me

---

ARTICULUS TERTIUS.

De Causa Materiali Monasticarum Concionum.

Quæſt. 1ª. *Quænam pro illis eligi poſſint Argumenta?*

PRÆTER enumerata in præcedenti Articulo, vel potiùs indicata Argumenta, de quibus quaſi per

transennam dicere sat potes ut omnibus Auditoribus prodesse possint Conciones hujus classis, plura hic enumerabo, quorum singula poterunt juxtà circumstantias sufficere, ut sæpiùs in eodem Monasterio per annum, si Conciones habendæ tibi sint, non pigeat Auditores sivè sæculares, sivè regulares audire de statu Religioso concionantem: & ut à quâlibet fructum quisque colligat suum. Dicere igitur poteris nunc de significatione ceremoniarum, quæ aut habitûs sumptionem, comitantur, aut Professionem: nunc de vocatione ad statum Religiosum, de ejus excellentiâ, vel prærogativis: nunc de ejus obligationibus & regulis: nunc de mundi contemptu: nunc de votis solemnibus paupertatis, castitatis & obedientiæ, ex quibus totidem fieri Conciones possunt: nunc de intentionibus eligentium statum Religiosum: nunc de laboribus & consolationibus ipsi adjunctis, de Regularum observatione, de imperfectionibus & vitiis in eo vitandis, de tepiditate & fervore. Circa hæc autem quanta adsit tibi dicendi materia, nemo est saltèm Religiosus Concionator qui non intelligat. De his igitur, Conciones habebis juxta rerum circumstantias, non autem de Christiani præcisè sumpti obligationibus; quia de his supponuntur sufficienter instructi & convicti quicumque, sivè Novitii, sivè Professi Religiosi: sed æmulantibus charismata meliora excellentior est via demonstranda.

Quæst. 2ª. *Quid circa hæc Argumenta potissimùm sit probandum?*

OSTENDES igitur mundanas vestes, esse pompas Satanæ, vanitatis fermentum, voluptatis illecebras: vocari autem habitum Religionis, nec immeritò, externam humilitatis Professionem, sæculique contemptûs, castitatis ornamentum, & propugnaculum, Virginum sapientum monilia, gloriæque æternæ pignus. Tum mundi, tum Religionis descriptionem exhibebis: Sæculi scilicèt corruptionem, illusiones, perfidiam, pericula, labores ac mœrores: ex difficultate obligationibus Christiani statûs fungendi in sæculo, colligent Auditores quanta sint Religiosi statûs commoda: votaque

ejus ſimul eſſe & compendium, & media ad vota Baptiſmi perfectè obſervanda. Præſuppones in aſſumentibus Religionis habitum, cor Chriſtianum: in clauſtri ſolitudine aut ſervatum, aut excitatum fuiſſe primum fervoris ſpiritum: & de eo maximam ingeres æſtimationem, non per inanes laudes, quæ ſuperbiæ ſunt plerùmque pabulum: non per deſpectum ſæcularium, qui plerùmque in ſtatu ſuo licèt minùs perfecto, perfecti ſunt; ſed per explicationem tum ſpiritualium utilitatum, tum obligationum ſtatûs Religioſi, quo & terretur cupiditas, & delectatur charitas.

OSTENDES facilem eſſe in ſolitudine viam ſalutis: ſed fugientibus mundi vanitates, perfectionem ſui ſtatûs, ſilentium, obedientiam, ſuæ voluntatis abnegationem, paupertatem pœnitentiamque ſectantibus. Aptiſſimis rationibus conaberis vocationem tum Novitiorum, tum Profeſſorum firmare, ſicque omnes ad religioſas præparare virtutes, ut pro ſalute conſequendâ omnia ſuſcipiant, omnia patiantur etiàm ea quibus terrentur mundi ſectatores. Non ſolitudinis labores & certamina ſilebis: ſed ejus & lenimenta explanabis. Ut autem proſit & ſæcularibus Auditoribus Concio, ità Religioſæ vitæ obligationes pandes, ut ſimul oſtendas exercitia ſpiritualia, Orationem ſtatutis horis, pias lectiones, morum integritatem, veſtium ſimplicitatem & modeſtiam, voluptatum fugam, pœnitentiam, & humilitatem, cujuſlibet ſtatûs totidem eſſe obligationes. Sic loqueris de Religioſi ſtatûs imperfectionibus & defectibus, de naturali propenſione ad diviſiones, ad murmurationes, ad detractionem, adulationem, ambitionem, cæteraque hujus modi vitia, ut de ſimilibus, imò & de gravioribus ſibi timeant & ſæculares: cautiſſimè tamen, ne fortè horrorem potiùs de ſtatu Religioſo, quàm de amplexando deſiderium excitari à te in ſæcularium cordibus contingat.

ARTICULUS QUARTUS.

DE FORMA HARUM CONCIONUM.

Monita & Regulæ circa Formam harum Concionum.

FORMÆ nomine hîc intelligo varias Concionis partes, scilicèt Exordium, principia, Ichnographiam & Moralitates, de quibus singulis non nulla tibi trado Monita.

1°. EXORDIUM itaque decet lætum esse, quod & deduci optimè poterit ex circumstantiis temporis, & personarum: in ipso innues Concionem susceptam non solis Religiosis, sed etiam sæcularibus profuturam esse: nec promissum fallere debet executio.

2°. IDEO sic Ichnographiam propones, ut ex principiis statuendis, consequentias inferre directas, vel saltem indirectas possis pro morum informatione utrique statui congruente. Cave tamen nè ex inanium declamatorum numero sis, qui præcisos veritatis limites servare nescientes, admiratione se dignos arbitrantur, dum cæterorum in humeros onera imponunt intolerabilia, quæ digito movere nolunt: Auditoribus fastidium ingerunt, principia statuentes à sacris codicibus aliena, & à rigidioris doctrinæ Sanctis numquam adhibita; sed cujusque debita qualia sunt explanabis: nec his quidquam addes, nec detrahes, adhibitis rationibus ex eodem, quo ipsamet debita, fonte haustis.

3°. RELIGIOSIS autem loqueris, tanquam debita sua, Regulasque statûs sui non ignorantibus, sed custodientibus: de quibus ideò innues te eo fine loqui in Concione, ut sæcularibus Auditoribus innotescat quanta sit Religiosi statûs perfectio. Cave itaque à vividis illis, acutisque exprobrationibus quæ populis fieri solent à torpore suo excitandis, memor Apostolici Moniti dicentis. „ Seniorem nè increpaveris, sed obsecra ut Patrem, „ anus ut Matres, juvenes ut Fratres, juvenculas ut „ Sorores. “ Cave tandem nè Religiosi statûs laudes extollendo sæcularibus contemptum ingeras Religiosorum. Pro Ichnographiis autem hujusmodi Concionum ducem habes eximium *Massillon*, pluresque alios recentiores, non secùs ac pro Concionibus funebribus.

RHETORICÆ SACRÆ
LIBER QUINTUS.

MONITA ET REGULÆ

Circa media ad movendam Auditorum voluntatem idonea?

HACTENUS Monita & Regulas tradidi tibi, Concionator Candidate, circa media ad Auditorum intellectum, per varias Concionum ſpecies illuminandum: circa media verò ad eorum voluntatem movendam, cùm per tranſennam tantùm pauca admodùm dixerim, nunc ex profeſſo dicendum ſupereſt. Librum itaque iſtum in quinque Sectiones diviſum accipe, in quarum primâ agetur de Morum informatione. In ſecundâ, de Figuris. In tertiâ, de Affectionibus. In quartâ, de Unctione ſpirituali. In quintâ, de Stylo. Hæc ſunt enim totidem media ad movenda Auditorum corda. Sit igitur

SECTIO PRIMA.

DE MORUM INFORMATIONE.

CUM Morum Informatio duplici modo conſiderari poſſit, genericè ſcilicèt & ſpecificè; Monita tradenda ſunt circa illam utroque modo ſpectatam: & hoc duobus abſolvemus Capitibus.

CAPUT PRIMUM.

DE MORUM INFORMATIONE GENERICE SUMPTA.

DE illâ hîc quæritur 1°. an facilis, difficilisve sit? Et 2°. quotuplex? Responsum autem ad utrumque ut habeas, sit

QUÆSTIO PRIMA.

AN facilis difficilisve sit Morum Informatio?

SI contrà septem Paccata Capitalia clamare in quâcumque Concione, satis esset ad mores Auditorum informandos, nihil utique facilius cuilibet Concionatori fore nemo non videt. „ Ità autem clamare, & ità Po-
Isaïæ, C. 58. „ pulo Dei annunciare scelera eorum, & Domui Jacob „ peccata eorum, ut dissolvant colligationes impietatis: „ ut frangant esurienti panem suum, & cùm viderint „ nudum operiant eum: ut desinant extendere digitum, „ & loqui quod non prodest: ut effundant esurienti „ animam suam, & animam afflictam repleant: ut deni-
Ibid. C. 55. „ que quærant Dominum dum inveniri potest: invocent „ eum, dum propè est: & derelinquat impius viam „ suam, & vir iniquus cogitationes suas & revertatur „ ad Dominum. “ Ita clamare, & suos ipsis defectus exprobrare & vitia arguere ut revertantur percutientes pectora sua intùs dicentes: „ Peccavimus Domino, iniquitatem fecimus, erravimus à viâ justitiæ. “ Ità, inquam, clamare Auditoribus suis, moresque eorum informare, ut percellantur, & corrigantur & pænitentiam agant de viis suis, hoc opus hic labor est. Hoc tamen consequeris, si ab argumento Concionis tuæ quasi resultet, & naturaliter fluat increpatio, clamor, & morum informatio: si varia fuerit pro argumentorum varietate, tum ut nova dictis tuis vis addatur; tùm ut corda eorum ad increpationes suscipiendas, feliciùs disponantur. Si verò prout fieri à plurimis solet, in quâlibet Concione, varia peccatorum genera adunare, & hinc indè contrâ ipsamet increpationis, accerimæque correctionis tela vibrare ve-

lueris, frustrà, clamabis; invectivæ siquidem & objurgationes, animis per Doctrinam non præparatis, solas plerùmque aures ferire, non cor Auditoris, solent. Quid enim sit cor Hominis & cui illud assimilem nescio. An abysso simile dicam, cujus tenebræ sunt impenetrabiles? An mari, cujus profundum solus qui fecit penetrare potest? An novo mundo adhuc nemini noto? An labyrintho, cujus qui vias perambulat, innumeras propè & intricatas, laboremque; multum invenit, sed exitum nullum? An cæco, quem quicumque comitantur, vagantur & errant etiam viarum peritissimi? Præstigiatorem ipsum rectiùs dicam; fingit enim, oculosque fallit etiam perspicacissimos: inspicientes se decipit: ipsisque sedulò cernentibus, ab eorum evanescit oculis. Quis igitur ipsius motus Orator novit, nisi imperfectissimè? Oratoris tamen est Auditorum voluntates & cor dirigere, & suo quemque hamo trahere ad virtutem, & à vitio avertere per congruentem morum informationem: alio quippè hamo trahuntur cives, & alio aulici: alio rustici, & alio magnates: alio masculinus, & alio fœmineus sexus: alio denique adolescentes, & alio viri & senes. Nisi itaque congruas Auditoribus elegeris morum informationes, dormientes somnolentosque habebis quàm plurimos, aut ad alia prorsùs intentos sit igitur.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit Morum Informatio?

DUPLICEM dico, externam scilicet & internam; vel enim arguuntur externi vitiorum actus, peccataque opere completa externo, ut luxus, & luxuria, fraus & rapina, detractio & vindicta: & ecce externa Morum informatio: vel vitia peccataque arguis merè in corde, seu voluntate, consummata: ab istis interna dicitur morum informatio. Optimæ itaque contra utraque declamationes; at peccatores præstat cordis internos reformare motus. Optimum est tubâ canere in Sion, & in monte Sancto ululare, & peccatoribus clamare ut convertantur ad Dominum, & dicere cum Isaïâ: „ Ini- C. 1.
„ qui sunt cætus vestri: manus vestræ sanguine plenæ

„ sunt; lavamini, mundi estote: quiescite agere perverse:
„ discite benè facere quærite judicium, subvenite oppres-
„ so. " Sed ad quid increpationes hujusmodi & exhortationes? Nisi simul peccatores doceantur & inducantur ad scindenda corda sua, & non vestimenta tantùm: & ad auferendum malum cogitationum suarum ab oculis Domini corda & renes scrutantis? Utraquè igitur optima morum informatio est, sed interna maximè est necessaria: de utrâque autem cùm plurima sint tibi scitu necessaria, de utrâque dicendum specialiter. St igitur.

CAPUT SECUNDUM.

DE MORUM INFORMATIONE SPECIFICE SUMPTA.

CAPUT istud patet, ex mox dictis, in duos dividendum Articulos; in quorum priori quid circa internam, in posteriori verò quid circa externam Morum informationem scitu tibi sit necessarium aperiatur: nè Mores instruens, fias sicut æs sonans, & cymbalum tinniens, in incertum pugnans, & verberans aëra

---

ARTICULUS PRIMUS.

DE INTERNA MORUM INFORMATIONE.

AD hanc cùm pertineant cordis cognitio, passionesque quibus moveri solet, plura hìc quæremus, de Passionibus scilicèt in genere & in specie, de modo illas dirigendi, & de causâ cur ad nihil plerùmque prosit interna Morum informatio, quæ sunt nobis ordinatè totidem Quæstionibus absolvenda.

QUÆSTIO PRIMA.

QUID de Passionibus in genere sciendum sit ad internam Morum Informationem?

ADEO inversa in homine est, per peccatum, naturalis intellectum inter, & voluntatem, subordinatio; ut non eligat voluntas unum præalio quin priùs judicaverit

judicaverit intellectus unum præ alio esse eligendum; sed ideò judicat intellectus unum præ alio esse eligendum; quia priùs unum præ alio elegit voluntas. Nihil equidem volitum quin præcognitum; sed quidquid præcognoscitur, per Passionis, non per rationis oculos cognoscitur. Quo fit ut nihil arrideat rectæ rationi, nisi quod priùs Passioni: nihil justum sit, nisi quod placet: cùmque sua cuique Passio plerùmque ratio sit, quidquid cordi jucundum est, ab intellectu verum judicatur. Quid mirum igitur, si cogantur Concionatores priùs cor allicere voluptate, quàm intellectum attrahere veritate? Priùs Passionem, quàm rectam rationem? Sunt siquidem passiones patris prudentissimi & taciturni, scilicet cordis, filiæ loquaces & imprudentissimæ; cordis arcana produnt, & quidquid conatur cor interiùs absconditum custodire, hoc illæ exteriùs solent seriùs ociùsve manifestare in oculis, fronte & gestis, veluti in horario indice, quasi depictæ. Tuum est, Concionator Candidate, depictas in illis intueri, scrutari, & diligenti studio observare singulas, & cognoscere; ut cognitas excitare quæ bonæ sunt, quæ verò pravæ dirigere possis: tuum est has ordinare, has moderari, & sublato ab eis quidquid pravi inest, quidquid boni habent servare: tuum est ipsis verum rectumque objectum demonstrare, sublatâque fallacium falsorumque noxiâ multitudine, impedire nè errent, & pravæ efficiantur; hâc siquidem arte mirabili nulla erit quæ in virtutem non immutetur; profanus scilicèt amor in veram charitatem, timor in prudentiam, inquietudo in fiduciam, iracundia in amorem justitiæ, audacia in magnanimitatem, invidia in æmulationem, zelotipia in zelum, tristitia de temporalium amissione in eorumdem contemptum: desperatio in spem. Mox utique ex coactione & necessitate orietur virtus voluntaria, ex diffidentiâ & infirmitate fortitudo & animus. Non sunt autem increpandæ passiones, tanquam vile quid & aggreste; sic enim irritarentur & pejores fierent: non contra ipsasmet insurgendum est, sed contrà earum abusum. Humano enim cordi innatæ sunt, ut per ipsas gratiâ adjutas ad cælos cor attollatur: sed ipsis objecta illa propone, pro quibus has nobis infudit Creator, moxque in moti-

Quomodò dirigendæ & reformandæ Passiones.

bus earum nihil erit nihilque omninò inordinatum reperies.

QUÆSTIO II.

QUID de Passionibus in specie?

Amor. DUPLEX est Amor, unus pravus, carnalis, terrestris & naturalis, & hunc à corde Auditorum vi Eloquentiæ aufferendum: alius bonus, spiritualis & supernaturalis est, & hunc tuum est in ipsis excitare, & docere quid amare debeant, Deum scilicèt & proximum, & quomodò. Amant honores, divitias, & voluptates fallaces & perituras: tuum est veras & æternas proponere omni amore dignissimas: tuum est ab amicitiâ aufferre inconstantiam, tædium, zelotipiam, diffidentiam & incertitudinem quibus cor turbatur: & sic mores optimè circà Amorem informabis. Sicut innatus est homini Amor: quo fertur ad ea, quæ sibi prosunt ad sui conservationem, Odium. sic & Odium, quo avertitur ab iis, quæ sibi nocent: tuum est ostendere nullum esse debere Odii objectum, præter peccatum: Odio habenda esse peccatoris vitia; personam verò diligendam: & Mores optimè informabis internos circà Odium. Desiderium. Per desideria fertur cor hominis ad bonum absens: & quid est vita ipsius, nisi desideriorum, tædiorumque continua vicissitudo? Quod cupit manè, vesperè respuit, & contemnit: nunc ardenter desiderat, & mox possessio desiderati saturitatem parit, saturitas verò fastidium: hinc languor & mœror animæ: hinc inquietudo & infelicitas. Tuum est, & inordinata desideria extinguere in corde Auditorum, & pia accendere, proposito objecto, à quo solo omnimodè satiari possunt: & optimam habebis internam circa desideria Morum informationem. Et ità de cæteris Passionibus, ità de imaginationibus, diffidentiis, timoribus, repugnantiis, cæterisque motibus Divinæ gratiæ impulsu in corde hominis excitatis. Ità de communis hostis fraudibus, qui nos nunc violentis aggressionibus turbat, nunc in pace relinquit: ità de Passionum larvis speciem virtutis & innocentiæ induentibus: de variis cordis nostri, pro temporum eventuumque varietate dispositionibus, quibus nunc æstu ardemus, nunc algemus frigore: nunc

luce, nunc tenebris perfusi sumus: nunc leonum fortitudinem ostendentes, nunc caniculorum formidinem. Ità de externorum objectorum impressionibus, appetituum inclinationibus; de viis Dei quibus ad salutem, & nostris quibus ad perditionem ducimur: de iis, inquam, omnibus, prout postulaverit necessitas, agendum in Morum informatione; sunt enim externarum operationum fontes & radices. Cùmque frustrà per increpationem in externa vitia exsiccentur, rivi non exsiccatâ & sublatâ ipsâmet scaturigine, ex quâ fluunt: frustràque rami abscindantur, non avulsis radicibus ex quibus pullulant; ideò his viriliter incumbendum, instandumque Oratori est, & omni ope atque operâ elaborandum, ut sensim exuant peccatores veterem Hominem cum actibus suis, & novum induant.

QUÆSTIO III.

QUÆNAM oriatur utilitas ex hâc internâ Morum Informatione?

PLURIMA procul dubio: auditis enim hâc arte fabricatis Concionibus, revertentur Auditores cogitabundi, & in agendis cautiores; quis enim nescit, quis diffitetur, testante imprimis Spiritu Sancto, ,, *Desolatione desolatam esse terram, eò quòd non sit qui recogitet corde?* " Quis nescit animum hominis extra se vagantem & difficillimè ad semetipsum revertentem, ab effrenatis concupiscentiæ motibus raptari & abripi? Gratiâ utique & rectâ ratione indiget ad salutem consequendam; quis autem nescit, solâ inconsideratione, inanes plerùmque in eo fieri gratiæ motus, rationisque lumen obumbrari? Cùm verò opportunis considerationibus, suggerente Concionatore, præmunitur: tunc procul dubio, primâ ingruente tentatione, aut pravâ exortâ cogitatione, concupiscentiæve motu auditarum in fructuosâ Concione admonitionum memor, ad pugnam se accingit, cor custodit Auditor. Imò juxtà dictum Salomonis, ,, Accedens ad servitutem Dei, stat in justitiâ & timore, & præparat animam suam ad tentationem: deprimit cor suum & sustinet sustentationes Dei: conjungitur Deo & sustinet in dolore, & in

Jerem. C. 12.

Eccl. 2.

„ humiliatione suâ patientiam habet sciens, quòd in igne „ probatur aurum & argentum, homines verò recepti- „ biles in camino humiliationis.“ Tanta est internæ Morum informationis vis & utilitas! Cujus si exemplum desideras, hîc trado eximium à Sancto Gregorio desumptum: „ Alius se, inquit, tyrannidi superbiæ subjicit & cor miserum durè contrà homines erigit, „ vitio substernit, bonorum sublimium infulas appetit, „ exaltari successibus exquirit: totumque quod esse de- „ siderat sibi apud semetipsum in cogitationibus depin- „ git: jam quasi Tribunali præsidet, jam sibi parere „ obsequia subjectorum videt, jam cæteris eminet: jam „ aliis mala irrogat: aliis quæ irrogaverint recompensat: „ si apud semetipsum stipatus cuneis ad publicum pro- „ cedit, jam quibus obsequiis fulciatur conspicit: qui „ tamen hæc cogitans solus repetit, hinc alios concul- „ cat, alios sublevat, jam de conculcatis satisfacit odiis, „ jam de sublevatis recipit favores.“ Quis ex hâc penetranti perspicacitate fructus non colliget? Quis hanc renuet approbare aut commendare?

Lib. 4. Moral. C. 33.

QUÆSTIO IV.

QUIBUS utendum sit mediis ad internam Morum Informationem?

NON *parùm utique difficultatis*, inquies, *præ se fert Doctrina hæc alioquin utillima: nec hanc adipisci quisquam poterit, nisi Philosophiæ moralis peritissimus, & cui datum est cordis arcana penetrare & motus*: Ad quod respondeo: tibi perlegendos esse Historicos Scriptores, quibus datum est internum hominis characterem depingere, inter quos Demosthenem habes, suis in Orationibus: Sanctum Augustinum in Confessionibus: Sanctam Theresiam, aliosque Sanctos, qui propriam vitam scribentes, internos sensus, motusque cordis proprii aperiunt. Sed quid de aliis dico, proprii ipsemet cordis motus sollicitè cùm penetrare possis, & ex tuis, de alienis judicare? Iidem enim propèmodùm sunt in omnibus affectus, motusque, & propensiones ad vitia: eædem & passiones quibus alii serviunt, resistunt verò alii:

esto dissimiles passiones sint in plerisque : at eâdem semper inordinati sui ipsius amoris machinatione moventur. Tuum est igitur machinationem illius ità palàm proferre, ut quid in quolibet vitio enorme, quid pudore, quidve risu dignum sit Auditoribus demonstres. Hos scrutare igitur proprii cordis internos motus & affectus; seclusâ enim revelatione, istud habes unicum ad alienam conscientiam detegendam medium & quidem optimum : hoc utere, moxque & Sanctus ipsemet, & Concionator eris ad internam Morum informationem aptissimus.

QUÆSTIO V.

Cur plerùmque Morum Informatio sit inutilis?

NON desunt qui conquerantur dicentes: „ *Se frustrà insudare in hujusmodi Morum informatione „ etiàm maximè vividâ & vehementissimâ.* “ Sed quæro ab hujusmodi Concionatore : nonne veritates exhibes Paradoxis Hyperbolisve permixtas, aut fortè palpabilibus quibusdam falsitatibus? Quid mirum ergo, si tibi jam in aliis non credat Auditor, nec Mores emendet? Clamantem te forsitan audiunt, ex molli otiosâque vitâ innumera oriri mala, turpitudinesque perturbationes, discordias in familiis, crudelitatem in pauperes, lugendamque æternæ negligentiam salutis; at quot viri & mulieres hæc audientes vitam tamen hujusmodi esse cum pietate etiam insigni compatibilem putantes, constantes in eâdem perseverabunt, Paradoxum existimantes quod quid adeò horrendum sit, aut esse possit mollis otiosæque vitæ exitus & finis? Esto in nonnulla ex auditis lapsos se non diffiteantur: lugendos sibique notissimos hujusmodi effectus ab incognitâ aliâ causâ ortum habere, fidenter sibimet intùs respondebunt, & fortè etiam palàm clamabunt. Si quæras quare hoc? In promptu est responsum istud : quià media prætermittis Ratiocinia, ex quibus, quod absque debitis probationibus affirmas, illud ipsimet concludant : quià gradatim, prout debuisses, non processisti; dicenda enim tibi priùs erant ista, hisve similia : Scilicet „ mollis otiosaque „ vita, blandimentaque corporis, spiritualis vitæ con-

„ temptum, moxque horrorem inducunt: hinc animi
„ circa ſenſibilia diffuſio: hinc & interni veritatis ex-
„ tinctio luminis: quòd ſi, prout fieri ſolet, propen-
„ ſionis in malum motus, ità ſequatur quis omnes, ut
„ quidquid ſenſus appetunt ipſis concedat: mox ſeque-
„ tur neceſſitas nihil ipſis denegandi, eòque cæcitatis
„ paulatìm devenit, ut nihil cogitet, nihil æſtimet, nihil
„ velit & quærat, niſi quidquid ſibi gratum & jucun-
„ dum, quidquid appetit corpus, cujus tandem anima-
„ libus ſervire cupiditatibus non erubeſcit: cùm autem
„ eò devenerit, nullum profectò peccatum, imò & cri-
„ men excogitari poteſt, ad quod ex abyſſo in abyſſum
„ ruens, ultrò patrandum, minimâ ingruente tentatio-
„ ne, pronus non ſit, imò & paratus." Quis, hâc
auditâ gradatione, dicere ultra audebit: „ Quid eſt
„ quod dicit iſte de otiosâ mollique vitâ? Exageratio-
„ nes pandit Oratorum more: zeli impetu raptus talia
„ dicit, ut nobis terrorem incutiat, &c." Non raró
ſiquidem audiuntur talia & his ſimilia ex peccatorum
ore; ſed hoc ſibi imputent Concionatores qui præter-
miſſis mediis, ad extrema propè incredibilia prorumpunt.
Sed ſat de internâ Morum informatione, ad externam
tempus eſt ut properemus; ſit ergò

ARTICULUS SECUNDUS.

DE EXTERNA MORUM INFORMATIONE.

PERACTA, in Concionis tuæ contextù, Internâ Morum Informatione, Externa utique adhibenda eſt: & hîc plurima ſcitu tibi neceſſaria ſunt circa iſtam, quæ totidem Quæſtiunculis trado: hinc ſit

QUÆSTIO PRIMA.

AN obſervandæ ſint Circumſtantiæ, in hâc Morum Informatione?

PARUM eſt Auditoribus varios proprii cordis motus explicare, niſi ſimul docueris eos quomodò ſuos quiſque poſſit pravos eradicare habitûs, cupiditates &

passiones edomare, vitam emendare, servare constantiam periculosis in circumstantiis, pericula vitare; documenta enim hujusmodi perspicua, simul & paucis exhibita, Auditoribus jam de pravâ suâ agendi ratione increpatis, & de periculo proprio præmonitis, mirum est quantùm prosint. Quod quidem ut consequaris, vide nè eorum imiteris exemplum, qui, nullâ habitâ ratione ad loca, personasque, quidquid menti occurrit, vel in Libris legerunt, aut ab aliquo audiere, in Conciones suas intrudunt, quas ubique sivè in Urbibus, sivè vicis, sivè coram Nobilibus, sivè coram Rusticis pronunciant: quod quàm ridiculum plerùmque sit quis nescit? Increpant V. G. Rusticos in vico, aut Moniales in claustro de nimio curruum usu, vel de vitio aliquo quod in aulicis Magnatibus solis inveniri potest: aut è contra aulicos & Magnates de peccatis quæ à solis Rusticis & Plebeiis committi solent, aut à Monialibus. Ab simili igitur imprudentiâ cave, Concionator Candidate, ad Audientium conditionem & statum ità attende: ut quidquid in Concione tuâ omnibus, aut saltèm majori eorum numero non congruit, hoc prætermittas, aut immutes: ut à quorumdam virorum reprehensione totiès abstineas, quotiès id postulaverit necessitas; periculumque aderit, nè aut singularis persona, aut ex paucis constans congregatio justè conqueri possent se notatos fuisse; talium enim Concionum alius fructus non est, nisi ira, despectus, murmur & scandalum. Equidem quidquid Concionatori ingenitum, & à rectâ ratione fluens advertitur ab Auditoribus, ubique & omnibus placet magnatibus, & plebeiis, doctis & indoctis: ità tamen ubique attendere debes ad Auditorum conditionem & statum, ut nullibì & nusquam, ne quidem in vicis, Auditores etiam rudiores & rusticos contemnens, parùm cures de dicendis in externâ Morum informatione, in increpationibus, in moralitatibus; ubique enim & sentit plebeïus Auditor id etiàm quod non perfectè intelligit: & ubique aliquis reperitur inter Auditores, qui rectè de auditis jam judicet, & ad contemptum & derisionem Concionis sat superque erit.

QUÆSTIO II.

AN admittenda sit Satyra, in externâ Morum Informatione?

SATYRÆ ineptiam jam supra notavimus, ubì de
(e) Lib. 4. Artic. 3. §. 4. Concionis Panegyricæ Expolitione & Stylo: (e) Cùm autem de hâc nùnc dicamus ex professo, hîc superest ut moneam te: nonnullis visam fuisse Satyram, medium quoddam esse ad vitia tollenda perutile, hâcque ideò uti posse Concionatorem, dummodò caveat nè quemquam in particulari mordeat; sivè quia, ut dictum est à Satyrico Scriptore quodam, sapidus quandoque risus plus ad vitiorum extirpationem valet, quàm reprehensiones etiam acerrimæ: eo vel maximè, quòd & pungendo delectat, & sic quietè medetur; sivè quia hâc Satyrâ non nunquam usi fuére SS. Patres. Ut autem quid de hâc sentiam pateat: duplicem distinguendam esse dico Satyræ speciem, quarum una pungit quidem, sed simul gravitate plena est; ferit & delectat, sed risum nequaquam movet: & hâc usi sunt SS. Patres, nec ideò Evangelicum dedecet Ministrum. Alia autem cùm mimica sit, & risum tantùm, pungendo, moveat, à sacro pulpito penitùs est eliminanda; numquam enìm peccatores ferocibus dictis sunt lacessendi, nec injuriosis contemptibilibusque verbis impetendi, maximè autem in Sacro Verbi Ministerio; Jac. 3. v. 14. 15. & 16. „ *Zelum enim amarum in corde,* „ *cum contentione conjunctum*, asserit Divus Jacobus, „ *non esse sapientiam desursùm descendentem, sed terrenam,* „ *animalem & diabolicam.* " Auditores autem non iracundiâ, sed suavitate & amore sunt trahendi per iracundiam enim, & intellectus obnubilatur, & veritas involvitur; si verò peccatores excusaveris, ipsi se condemnant. Memento per vitiorum censuram neminem indicandum esse; & temerariam injuriosamque esse, si contrà unicum exerceatur: ubi autem genericæ fiunt increpationes, aliquos semper excipiendos esse, ut se de exceptorum numero arbitrentur, qui increpationibus facilè læduntur. Memento ubicùmque pusillus est Auditorum grex, ibi adhibendam esse genericam tantùm increpatio-

nem;

nem; tunc enim ingenui Auditores ſibimetipſis ultrò dicunt bonâ fide : *Tu es ille Vir.* Nec perverſis poſteà ulla datur quærimoniarum occaſio; ſi enim propter non nullorum improbitatem non ſunt omnes increpandi, quantò minùs inhonorandi : quinimò ubicùmque contrà maxima ſcandala inſurrexerit ſi dixeris in ipsâmet increpatione tuâ, rara eſſe hæc contra quæ inſurgis, inter Auditores tuos, ſed te ideò de iis loqui, quia times ne in ſimilia labantur, ortâ occaſione, tùnc qui de his reos ſe agnoſcunt ſalubriori confuſione, & dolore afficientur.

QUÆSTIO III.

AN admittendæ ſint vitii & vitioſorum Deſcriptiones ?

USQUE ad medium circiter noviſſimè elapſi ſæculi, in ſingulis propè Concionibus quàm plurimæ inveniebantur eventuum, locorumque prolixiores admodùm Deſcriptiones : his ſucceſſit deindè morum effigies ſeu Deſcriptio : at ſenſim inoleverunt etiam ipſæmet morum Deſcriptiones Satyricæ : ab iſtis caveas, quæſo, movent plurimùm Auditorem graphicæ illæ vitioſi & peccatoris Deſcriptiones, morumque effigies Eloquentiæ penicillo depictæ, plùsque habent ponderis quàm ratiocinia : cùmque peccatoribus exhibeant quiquid ipſimet ſibi conantur abſcondere, harum non minima foret utilitas, ſi charitatis & commiſerationis potiùs quàm paſſionis penicillo depingerentur. Ad quid autem proſunt picturæ & Deſcriptiones, quibus non nominantur quidem, ſed innuuntur non nulli ex Auditoribus, & quoſcoram Deo tantùm humiliari oportebat, ii à Concionatore coram hominibus confuſione & pudore cooperiuntur : Alii ad riſum, alii verò ad iracundiam, & vix ulli ad pænitentiam excitantur ? Quomodo autem Oratori Sacro licitum eſſet quod in libris ſatyricis arguitur & mulctatur ? Graphicas igitur exhibebis Deſcriptiones, non peccatoris, niſi quales mox dixi, ſed potiùs peccati : contra hoc inſurges, hujuſque temeritatem enormitatem, ineptias, turpitudinem lugendoſque patefacies effectus : peccatori autem ità parces, ut ſponte ſibimet applicet, quod, charitate ſuggerente, judicabit te nullatenùs ſibi

ſed omnibus indeterminatè dicere voluiſſe: *Tu es ille Vir.*

INCREPATIONES & invectivas externam Morum informationem ſpectantes, parùm eſt eſſe locorum, temporis, & Auditorum circumſtantiis accommodatas, ut ſupra Quæſtione primâ dixi, debent & ad omnes ſtatus pertinere; attendere quippè debes ad Rudes & ad Aulicos, ad Plebeiios & ad Nobiles, ad Ignaros & ad Doctos, ad Parentes & ad Filios, ad Servos & Dominos; ſicut enim omnes ægrotantes medicamentis, omnes convivæ cibo & potu indigent, ità omnes vitioſi & peccatores correptione documentiſque egent: omnium igitur vitia, errores exceſſus & peccata arguenda ſunt, omniumque morbis ſpiritualibus medela adhibenda.

QUÆSTIO IV.

QUOMODO ſit dirigenda Morum Informatio Externa?

CAUTE & quaſi per compellationem ad Auditores dirigendam dico: cautè quidem, reſpectivè ad Eccleſiaſticas Perſonas, & ad magnates; coram populo enim ſi incautè & audacter increpaveris magnates, aut aliquos, in publico munere conſtitutos, præſertim ubi pauci adſunt inter Auditores, timendum nè contrà ipſos, cum publici boni detrimento, plebem commoveas: ubi autem quaſi populum, ratione multitudinis, conſtituunt; cùm ipſorum non minor ſit plerùmque quàm populorum quibus præſunt, neceſſitas medelæ ſpiritualis; ipſorum utique vitiis non eſt parcendum nec peccatis: cautè tamen, ſubtiliter, obliquè & reverenter arguendi ſunt, ità ut ipſi ſoli, ſi fieri poteſt, percipiant quid dicere volueris: idem dico & quidem à fortiori de Eccleſiaſticis Perſonis & Eccleſiæ Miniſtris, quorum delicta publicè detegi abſque offenſione & ſcandalo cùm vix poſſint, à Concionatore gemitibus potiùs, quàm increpationibus argui debent. Si tamen neceſſitas tibi incumbat, in illa utpotè ſcandaloſa publicè inſurgendi, nè ſilentio approbare videaris; ea tanquam poſſibilia primùm ſuppones, quæreſque quomodo his medendum foret ſcandalis, ſi fortè acciderent, & quàm rigorosè

punienda: vel locum S. Scripturæ propones congruentem, in quo Veteris Testamenti Sacerdotes aut Levitæ arguuntur, ut pari se reprehensione dignos intelligant, qui similia patrati sunt: vel ipsismet, ab aliquo ex SS. Patribus adhibitas increpationes exhibere poteris: vel tandem in temetipsum verba correctionis convertes, prout optimè factum legimus à R. Patre *Bourdaloüe* & aliis.

DIXI præterea: *quasi per compellationem & apostrophem, ad Auditores dirigendam esse Morum informationem*, ut clariùs intelligant se non tantùm spectatores esse increpationis aliis factæ, sed pro seipsis, & ad propriam Morum informationem fabricatam fuisse quam à te audiunt Concionem; sic enim motivum stimulumque suppeditabis attentiùs audiendi.

QUÆSTIO V.

AN & qualis in Morum Informatione externâ adhibenda sit Enumeratio?

QUAMVIS ex rectè probatis Concionis tuæ principiis, naturaliter fluentes conclusiones possent ipsimet Auditores quàm plurimi inferre; tuum est tamen, prout hodiernus fert modus, ipsas statim deducere & enucleare, & cujusque defectûs, vitiaque ac peccata, ad quæ non advertunt non recogitantes corde, ità pingere, & ad cujusque etiam rudioris captum accommodare; ut intùs dicere quisque cogatur in se reversus: „ *Vera sunt ista & certissima, ego sum ille Vir.* " Enucleantur autem collectæ ex principiis conclusiones per Enumerationem, quæ inter omnes cœteras Concionis, præsertim moralis partes, est procul dubio utillima. Quidquid enim genericè à Concionatore de vitiis, delictisque dicitur, etiam ubique & in quovis statu frequentissimis hoc nullus propè Auditor in se agnoscit, vel sinceritatis defectu, vel advertentiæ. Tuum est igitur Auditores singulos, per Enumerationem cogere ad proprios defectus & delicta recogitanda; cordis enim proprii motus, quibus serviunt, non perpendunt, nec ad ipsos volunt, aut solent attendere: cautè tamen adhi-

bendæ ſunt Enumerationes, in quibus faciliùs eſt Concionatorem peccare, quàm in principiis eorumque probationibus; adeò ſiquidem periculoſum eſt vitia ſubtili Enumeratione deſcribere ac depingere, ut ipſamet comptior jucundiorque moralis Enumeratio ac Deſcriptio tentationis vices plerùmque gerat. In parvis autem Enumerationibus, nihil parvum aut vile, vel ineptum exhibere, hoc opus, hic labor eſt. Ubi autem de vitiis illis agitur, quæ nec nominari inter Chriſtianos decet cavendum nè, ex graphicâ nimis illecebrarum tentationumque Deſcriptione, aut Enumeratione, Auditoribus locum præbeas judicandi te quondam eâdem fuiſſe pice infectum quâ infectos alios luges, aut arguis, aut Enumeratione probas; non deſunt quippè qui malignè judicare ſolent quidquid enumeratum à Concionatore circa hujusmodi vitia audiunt, hoc propriâ ipſum experientiâ didiciſſe: nec cavendum minùs nè, dum Auditores curas à malo avertere, mali addiſcendi occaſionem præbeas: nè, jucundioribus voluptatum mundanarum, ludorumve deſcriptionibus, horum amorem potiùs quàm odium, aut dolorem de præteritis delictis ingeras; nonnulla quippè vitia ſunt de quibus nimium ſemper dicitur, & quæ ſilentio potiùs congruisque reticentiis arguuntur, quàm Enumerationibus. Noli itaque, periculoſam imprudenter excitando concupiſcentiam, triticum potiùs quàm zizania evellere, inimicique hominis vices gerere, qui non nocte tantùm zizania ſuper ſeminare, ſed & meridie ſolet triticum aut eradicare, aut in zizania convertere. Enumerationes autem nè vileſcant, aut periculoſæ ſint, identidem debent aut ad principia reduci, aut per exempla Allegoriasve aut Metaphoras interſcindi & exornari. Prudenti autem & cautâ Enumeratione, factâ circà Mores pravos, media, vel remedia ſtatim enumerabis ad eorum reformationem aptiſſima; claudicat enim in verbi miniſterio qui ſuper ſcandalis vitiisque dolet quidem & gemit, quibus tamen poſſint, & debeant mediis auferri, prorsùs ſilet.

SECTIO SECUNDA.

DE SECUNDO MEDIO AD CORDA AUDITORUM MOVENDA, SEU DE FIGURIS.

CUM non solâ Morum informatione, sed etiam Figuris moveri soleant Auditorum Corda: jamque in Libro primo Rhetoricæ nostræ de iis quibus uti Concionatores solent, dixerim quot & quid sint, & quomodo fiant: hîc duobus Capitibus plurima trado circa illas tum genericè, tum specificè consideratas. Scitu necessaria.

CAPUT PRIMUM.

DE FIGURIS IN GENERE.

DE Figuris ut sic seu genericè spectatis quæri potest undenam ortum habuerint, & quænam sit harum utilitas? Sit igitur

QUÆSTIO PRIMA.

UNDENAM ortum habuerint, & etiamnum habeant Figuræ?

FIGURARUM ortum quis ignorat ex mutuâ hominum conversatione prodiisse, imò & ex colloquio inter Deum & primos Parentes: Ait enim Deus ad Adam: „ *Ubi es? Quis indicavit tibi quod nudus* Gen. C. 3.
„ *esses, nisi quòd ex ligno de quo præceperam tibi nè comederes, comedisti?* " Et ad Caën: „ *Quare iratus* „ *es, & cur concidit facies tua? Nonne si benè egeris* „ *recipies, sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? .... Ubi est Abel frater tuus?* " *Cui respondens Caën ait*: „ *Nescio: nùm custos fratris mei sum* Gen. C. 4.
„ *ego?* " Nulla enim est Figura cujus quàm plurima exempla Sacris in Codicibus non reperiantur, ubicumque in iis descriptum legitur colloquium. Adeò innati cuique hominum sunt varii illi loquendi modi, quia

quià non communiter adhibentur, percellunt, ſtupefaciunt, placent, cor movent paſſionesque excitant. Adeò in corda hominum infudit naturæ Auctor, imò & in linguas! Ut niſi nimià arte & ſtudio vitiaretur in plerisque intellectus, ex ſuo quiſque corde eructaret ſublimes quaſcumque, vehementes jucundasque loquendi formulas de quibus hìc agitur. Quis enim, ſi pluriès ruſticorum colloquiis interfuerit, non pluriès miratus ſit illos tàm variis, & à vulgaribus remotis figuris inter ſe loquentes; ut ipſum fortè puduerit, Eloquentiæ ſtuduiſſe, dum videt in ruſticis, & illiteratis naturalem quamdam Rethoricam longè elegantiorem, aptioremque ad perſuadendum, quàm Rhetorica noſtra artificialis: quod quidem niſi adhuc expertus fueris, attende ad cœtum hominum, paſſionis alicujus motu æſtuantium; tunc ſiquidem ſenſim vividior concitatiorque evadit ſermocinatio: creſcente circumſtantium attentione, ſuaque jura deffendentibus ſingulis, & aliena impetentibus, ſolâ docente naturâ, in varias erumpunt loquendi formulas, quibus mutuò ad iram vel odium moventur: idem contingit in colloquio inter duas pluresve perſonas quarum aliæ aliis volunt aliquid ſuadere, aut diſſuadere, aliæ alias laudare aut arguere, provocare, aut ſedare, aut paſſiones in aliis excitare, aut in ſe excitatas vel innatas exprimere: tùnc pro rerum varietate, aut finis ab aliquo intenti, vario & inſolito utitur quisque modo loquendi. Figuræ itaque nihil ſunt niſi inſoliti modi loquendi ad docendum, aut ad delectandum, aut ad movendum apti, qui cùm primò neceſſitate invecti fuerint, frequentiùs ex voluptate adhiberi ſolent.

QUÆSTIO II.

QUÆNAM ſit Figurarum Utilitas & Diviſio?

TANTA eſt Figurarum utilitas, ut 1°. Per ipſas, veluti vividos per colores primis delineamentis ſuper additos, exornentur quælibet Conciones, novâque vi roborentur. 2°. Excitant Auditorum attentionem, cujus defectu nulla ſuaderi veritas poteſt etiam lucidiſſima. 3°. Etſi à Figuris nec fides pendeat, nec pietas,

aut peccatorum conversio, his tamen plerùmque ad illas utitur Deus: nec minùs Concionibus Eloquentia congruit, quam Templis marmora, vasis aurum, sacrisque ceremoniis Musicæ simphoniæ concentus. 4°. Sicut ex vividioribus penicilli ductibus tabellarum perfectio plerùmque resultat, sic & ex Figuris Eloquentiæ, tanquam ex irregularitatibus necessariis quibusdam, Concionum efficacia felixque pendet exitus: quidquid enim aliàs simplex probatio esset, accedente Figurâ, percellens movensque fit probationis argumentum: & cùm ex charitate & zelo, tanquam ex vero fonte, fluere debeant; si in iis artem adhibueris, ità ars occultanda erit, ut à solâ naturâ ortum habere videantur. Servandus itaque modus in adhibendis hujusmodi Concionum ornamentis, quorum etsi non improbetur usus, nimius tamen est profectò à Sacris Orationibus procul arcendus. Sicut enim condimentorum nimietas, ususque quotidianus fastidium parit, ità & de Figurarum nimietate; quibus si scateat Concio, suspecta prorsùs haberi solet Auditoribus saltèm maturioribus. Figuris autem rectè uti si volueris, ad naturales cordis tui motus attende, & hos sequere: anima siquidem nostra innatos quosdam motus habet, quorum alii correspondent Apostrophi, alii Exclamationi, alii Suspensioni, alii Imprecationi, &c. quos quidem internos motus facilè senties, cùm compositionis æstu ardebis: quos si secutus fueris, mirandas reperies in Concione tuâ Figuras; arte quidem cautè dirigendas, sed quasi tibi innatos. Quòd si ad motus illos parùm aut nullatenùs attendas: Figuris quidem variis, sed inordinatis & ineptis Concionem infarcies: quæ etsi venustæ & Eloquentiæ floribus ornata videatur, neminem tamen movebit.

FIGURÆ 1°. aliæ sunt verborum, de quibus agemus ubì de Stylo: aliæ verò sententiarum seu rerum. 2°. Aliæ ad docendum, aliæ ad delectandum aliæ verò ad movendum aptæ sunt; prout jam in Libro hujus Rhetoricæ primo notavimus: cumque ibi dixerimus tredecim esse à Concionatoribus adhiberi solitas ad docendum, duodecim verò ad movendam Auditorum voluntatem, quid circa nonnullas ex illis notare, Concionator Figurarum divisiones.

Candidate, debeas hîc paucis dicam, si priùs indicavero aliam esse illarum divisionem. Aliæ scilicèt sunt lenes, aliæ vehementes: de utrâque specie quæritur an Concionibus Sacris congruæ sint vel non? Et quænam sit harum facilitas vel difficultas? Sequitur itaque

QUÆSTIO III.

AN admittendæ sint in Sacris Orationibus Figuræ lenes, & Figuræ vehementes?

NOTANDUM quod lenes Figuræ illæ nuncupantur, quæ aut intellectum tantùmmodò suavi & jucundo lumine perfundunt, aut cor veluti blandimentis & invitationibus alliciunt, quales sunt tredecim supra assignatæ tanquam ad docendum idoneæ, & quarum exempla dedimus, & cujuslibet descriptionem Libro primo (*a*) & pleræque ex ibidem assignatis ad movendum aptis. Figuræ verò vehementes illæ dicuntur quibus quasi impetu & nervis, cor & voluntatem vincit & abripit Orator. Lenes Figuras nemo diffitetur admittendas esse in Concionibus, vehementes autem, aliqui dicunt esse innaturales: quasi verò naturales non sint motus passionum extraordinarii! Si autem motus illi naturales sint, ut nullus diffiteri potest, ergò & Figuræ vehementes, quæ ex illis ortum habent.

(*a*) Quæst. 4. §. 1. & §. 2.

HIS notatis dico Figuras vehementes in Sacris esse Concionibus adhibendas; cùm enim paucissimi sint qui inordinatis non turbentur animi affectibus, imò plerique ipsis serviant, Concionatorem necesse est prudenter sanctèque turbari, ut inordinatarum turbationum caliginem, passiones passionibus opponendo fugare valeat: ideò his usi sunt Sancti Patres, imò & Spiritus Sanctus per os Prophetarum Sacrorumque Scriptorum nobis loquens in Scripturis Sacris. Populo prætereà sic placent vehementes figuræ, imò adeò sunt ad eum movendum necessariæ, ut nisi identidem auribus ejus insonuerit strepitus objurgationis, & vehementis alicujus Figuræ nullatenùs, aut vix moveatur, imò somno gravatus dormire soleat. Cave tamen nè eorum exemplum sequaris, qui in quâlibet, & in totâ propè Concione tonitrua, ut

itâ

ità dicam, corruscationesque & fulmina vibrare solent.

Difficile tamen esse non diffiteor vehementibus Figuris naturaliter uti, iisque solis id competere qui ingenio pollent stabili, & intimè sentiunt quæ dicunt. Imitaberis igitur aprum qui priusquàm in arenam descendat, in saxum, vel in truncum dentes acuit, irasque congerit: sic & tu, priusquàm Concionem componendam suscipias, temet ipsum extimula, accende & excita per alicujus Prophetæ, aut Patris, aut Concionatoris de eâdem materiâ dicentis lectionem. Figuris tamen hujus speciei ità utere, ut non absque ullâ præparatione, non intempestivè & extra locum illas adhibeas: sed priùs vide an rei dicendæ conveniant, deindè ad eas Auditorum præpares animos; solis enim extraordinariis in circumstantiis congruunt impetus quidam ex abrupto erumpentes: sed ut hoc magis pateat, de nonnullis specialia in sequenti Capite tradam Monita. Harum difficultas.

CAPUT SECUNDUM.

DE FIGURIS IN PARTICULARI.

NE quidquam hîc prætermittam de scitu necessariis quoad figuras in specie, in uno Paragrapho de pluribus ex illis dicam, circà quas pauca notanda habeo: de quibus verò plura, dicam totidem Paragraphis. Sit itaque

§. I.

Quid sciendum Concionatori sit circa Admirationem, Antithesim & Ironiam?

ADMIRATIONE utendum est ad præoccupandos Auditorum animos, & ad extraordinariam ipsis exhibendam de dicendis ideam: Cùm autem ignari soleant omnia mirari, tùnc tantùm admirationem adhibebis, cùm de verè admirandis à præstantis ingenii viris, agetur.

Etsi antithesis sit *oppositio inter duo contraria ad quorum intelligentiam inservit*, quià tamen frequentiùs adhibita puerilem ludum redolet: nec Eloquentiæ con-

gruit ſemper oppoſitio quælibet etiam accuratiſſima & rectiſſima: nec Eloquentiam tanta decet ſemper ſymmetria: hâc ideò figurâ raro admodùm utéris, non secùs ac Ironiâ, quamvis enim, hâc mediante, vera fiant quæ falſa ſunt, quatenùs vera eſſe affirmantur per deriſionem, ut falſa concludantur ab Auditoribus, vel è contrà: quamvis verum & falſum, rationabile & ridiculum juxtà ſe poſita magis elucescant, quamvis hâc uſi fuerint Sancti Patres, ut Idololatris & Paganis Deorum ſuorum falſitatem ſimùl & infirmitatem clariùs, & eò vividiùs demonſtrarent, quòd mavult quisque improbus haberi quàm ridiculus: quia tamen non ſimiles nunc, aut raro occurrunt occaſiones ſic Paganos & Idololatras impugnandi: quià raro inſuper, & reis numquàm placet deriſio, quos è contrà ad iracundiam provocat, & ad odium contrà irridentem: quia denique Divini Verbi Miniſtros vix aliquando decet peccatores irridere, ideò raro & prudenter adhiberi debet Ironia.

§. 2.

AN admittenda ſit ab Oratoribus Sacris Hyperbole?

FATEOR quidem ultrò Hyperbolem innocuum quoddam mendacium eſſe quo nemo fallitur: imò & mendacium apparens quo ad veritatem ducuntur Auditores, & falſum ex quo quatenùs falſo agnito, veri ſpeciem præ ſe ferre ſolet; eò quòd dicta per exaggerationem, ad ſenſum ab Oratore intentum Auditor interpretatur. Fateor exceſſum Hyperboles totum eſſe in ſolâ expreſſione, cogitatum verò ab exaggerante intentum juſtis concludi terminis, huicque excuſationem, & interpretationem adjunctas non parùm prodeſſe ad offerendam aſperitatem, ejusque quaſi viatoriam ſyngræpham eſſe, quâ ſcilicèt rectum fit cogitatum, & ad rationabilem ſenſum revocatur, aut revocandum docetur. His tamen non obſtantibus, quià non multùm diſtant inter ſe invicem magnitudo & imenſitas, extraordinarium & inſulſum ac ineptum, ideò veri finibus ſtandum eſſe dico. Si igitur dura ſit Hyperbole, ad hanc Auditores præpara, hujus auffer, aut minue aſperitatem, & niſi

vulgò adhiberi ſoleat Hyperbolicus loquendi modus; hoc noli incautè uti: nè aut rideant Auditores, aut indignatione moveantur.

„ *Nec dicas innumeras propè in S. Scripturâ, ſi* „ *expoſitoribus credatur, reperiri Hyperboles, hisque* „ *pluriès uſos fuiſſe Sanctos Chriſoſtomum & Hieroni-* „ *mum, item & Tertullianum;* " Reſpondeo enim moribus noſtris, ſæculique iſtius ingenio non arridere Hyperbolem & exaggerationes: quantò minùs ubi de veritatibus Chriſtianæ Religionis! Nudâ igitur & ſimplici veritate, quæ exaggeratione profectò non eget, utere; ſi enim ipſi veritati vix creditur, quantò minùs exaggerationibus & Hyperboli! Si dicas „ *Quaſdam eſſe ve-* „ *ritates quibus effrenatos populorum forſitan mores foveres* „ *potiùs, ſi has quales ſunt proferres.* „ Quis enim pronos neſciat Chriſtianos ad ſolutiorem, remiſſioremque diſciplinam: has itaque mallem prætermitti à Concionatore, quàm per exaggerationem extrà modum reſtringi, ab ipſis enim etſi primo auditu terreantur peccatores, his mox ſolent deinde nullam adhibere fidem. Exaggeratione nequaquam indiget Eloquentia Sacra: ſed ſingula prout in ſe vera ſunt exhibet, magnorum ſcilicèt objectorum magnitudinem, & parvorum parvitatem; eò quòd quidquid exaggeratur falſum ſecundum quid eſt, moxque falſum eſſe apprehenditur.

§. 3.

Quid circa Repetitionem, Subjectionem, Suſpenſionem & Imprecationem ſciendum?

QUANTO facilior videtur repetitio tantò majori ſtudio & attentione indiget, debet autem brevis eſſe nec unquam niſi de re gravi & ſententioſâ, quæ Auditoris attentionem excitet. Dialogiſmo ſeu interrogatione per modum ſubjectionis, frequentiùs utuntur Oratores Sacri; per hanc ſiquidem figuram ſeipſos interrumpunt, interrogant, propriis reſpondent Quæſtionibus, propria ſolvunt dubia, cupiditatisque diſſipant prætextus, adeò ut attendat Auditor, perindè ac ſi tunc promùm invenirentur, & æſtuantè dicentis zelo

orta essent. Cavendum autem in suspensione adhibitâ; nè quidquam dicas quod Auditores non obstupefaciat: eòque rariùs hâc uti debes, quò difficilius est aliquid novum, & consequenter stupendum in Concione dicere. Ubicumque autem Imprecatione uti volueris, memento à charitate prohibitum esse imprecari cuiquam ex fratribus nostris: ideòque tuum esse, factâ aliquâ imprecatione, statim quasi reverti ad temetipsum, peccatoresque supplex rogare ut mala quæ ipsis Dei zelo raptus minatus fuisti, à se avertenda curent, per veram Pœnitentiam: vel Deum statim supplex deprecaberis ut ipsorum misereri, ipsosque gratiæ suæ radiis illustrare cœlestibus dignetur.

§. 4.

QUID circa Prosopopeïam & Hypotiposim notandum sit?

(d) Lib. 1. Q. 4. §. 2.

CUM Prosopopeïam suprà dixerim (*d*) fieri cùm aliquem loquentem inducit Orator vel vivum vel mortuum, vel Deum vel Angelum: hic monendum te volo difficile omninò nobis esse Deum inducere loquentem ut Deum: ideòque tuum esse ut per Prosopopeïam non alio ipsum modo inducas loquentem, nisi quo locutum eum fuisse legimus in Sacrâ Scripturâ, aut in Sanctis Patribus. Attendendum enim est ad statum & qualitatem personarum quæ loquentes inducuntur, ut suo quælibet modo qualitati suæ congruo loquatur. Cùm autem quantùmvis splendida & percellens sit hæc Figura, aliquid semper ficti contineat; hâc ideò rarissimè simul & brevissimè utendum est, ac cautissimè.

HYPOTIPOSIM autem quam suprà, descriptionem personæ, loci, rei gestæ aut temporis dixi, hic addo jucundum nuncupari posse incantamentum quoddam, quo dum res narrantur, veluti ipsæmet sic exibentur, ut quæ audit, quasi videre sibi quisque videatur. Circa hanc autem Figuram quænam sint notanda, vide suprà ubi de externâ morum informatione. (*e*) Quibus hic addo Hypotiposim, seù descriptionem rerum adhibendam esse in quâcumque Concionis specie, nihilque ipsâ

(e) Art. 2. Q. 3.

ſplendidius & præſtantius in Eloquentiâ: undè ab ejus exceſſu & affectatione cavendum, necnon & ab eorum exemplo qui peccata ità deſcribunt, ut ad hæc potiùs perpetranda alliciant Auditores quàm ad Pænitentiam: pictorum more, qui in pingendo ſerpente toti incumbentes, parùm curant an hujus horrorem injiciant vel non, dummodo inde laudes & admirationem conſequantur. Auditâ hujuſmodi ſplendidâ deſcriptione, exclamat equidem quiſque, ingeniumque Concionatoris extollit: ſed quid hoc ipſi magis injurioſum? Non enim in Sacro Verbi Miniſterio, de ingenio Concionatoris, ſed de Auditorum converſione agitur: qui ſi auditâ Concione, læto vultu Concionatorem laudibus extollant, infructuoſæ Concionis indicium eſt: optimæ verò & fructuoſæ, ſi hâc auditâ, demiſſis oculis, ſilenteſque diſcedant.

§. 5.

QUID circa Apoſtrophem & Metaphoram?

CLAMORIBUS utique nihil eſt facilius, qui cùm ſemper in Apoſtrophe reperiantur, non pauci ex junioribus ſunt Concionatoribus, qui his Conciones ſuas infarciunt, ut ſic ſibi clamandi & æſtuandi occaſiones ſuppeditent: cùmque nihil difficilius ſit quàm ingenioſè iraſci; ideò Figuræ hujus uſu nihil pariter difficilius ex opportuno verò hujuſmodi motuum cordis extraordinariorum uſu arguitur Concionatoris ſolertia maxima; præter quam quòd pauci adhibendi ſunt in Concione, ad eos per minores motus præparanda ſunt Auditorum corda, ipſaque ſenſim allecta expugnat, ſicut ubi de impugnandâ arce agitur, omnia parantur, ſenſimque diſponuntur, ità cordis imbecillitatem aucupatur Orator, nullâque interpoſitâ morâ ipſum expugnat. Hujus præclarum nobis præbet exemplum Proto Martyr Stephanus plenus Spiritu Sancto, Eloquentiâque Cæleſti, ut Judæos & Doctores alliciat, Fratres & Patres ſuos eos primum vocat: deindè Abrahæ, Iſaac, Jacob & Moïſis res præclarè geſtas virtuteſque, aliorumque Patriarcharum qui prædixerant Chriſtum Meſſiam venturum: tum antiquorum nequitiam Judæorum exhibet qui Prophetas perſecuti

fuerant, & occiderant: cùmque vivido eos advertit ratiocinio permotos, tunc elatâ voce in vehementem Apoſtrophem erumpens ait: „ *Durâ cervice & incircumcisis* „ *cordibus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis, ſicut Patres* „ *veſtri, ità & vos* &c." Sic igitur utaris Apoſtrophe; alioquin infructuoſa erit & motuum æſtuantium tuorum alius non erit fructus quàm ſudor. Noli itaque, prout nonnulli ſolent, jam ab Exordio in motus ineptos erumpere, & æſtuare; te enim fruſtrà æſtuante, frigeſcent Auditores quos quidem debent motus illi occupare. Si autem hos præviderit Auditor, ſi expectaverit, ſi auſpicatus fuerit, nullus horum fructus erit: quin imò non deberes, ipſemet Concionator determinate ſcire quandonam vehementes motus illos ſis inter concionandum adhibiturus. Hos tamen omnes debes paratos in mente habere, & prout Auditorum corda affecta & præparata in Concionis decurſu advertes, opportunè motus illos adhibere debes ipſos proſequi aut intercidere, prout illos ſuum ſortiri effectum cognoveris; impræviſa enim niſi fuerint Eloquentiæ jacula, non feriunt. At *numquid igitur*, inquies, *præparare me nequaquam ad motus hujusmodi debeo?* Debes utique cum labore ſtudioque maximo, debes & his opportuno uti tempore, juxta Auditorum ſtatum: debes tandem & illos ſenſim ità exhibere, ut iis ſtatim obſtupefiant, ſicque feriantur & percellantur Auditores, ut ad illos te præparaſſe motus nequaquam poſſint cogitare. Vehementem adhibitam Apoſtrophem non incongruè ſequetur lenis figura; quia tunc, dum relaxatur Auditorum animus, ipſemet reſpirabis, & ad novam oppugnationem, novumque motum corda ipſorum præparabis. Si autem non ceſſaveris ab æſtu & commotione, non ipſemet ſolus defatigaberis, ſed & Auditores. Hâc itaque Figurâ uteris quidem ad timorem peccatoribus incutiendum, ad ſua ipſis exprobranda delicta, minasque Dei nomine intentandas: memineris autem, minas hujusmodi pro Concionatoribus plerùmque ſcopulum eſſe, nonnullorumque nimium zelum plurimis aliis noxium eſſe; qui ad felicem exitum neceſſarios eſſe clamores hujusmodi arbitrantur, totisque viribus clamant, in totum genus humanum iraſcuntur & convitia evomunt

nunc in magnates, nunc in judices, Advocatos & Procuratores, in mercatores & artifices: in omnes & singulos societatis humanæ statûs insurgunt, omnibus minantur, ex ineptis autem clamoribus hisce & invectivis quid sequitur, nisi plurimorum fuga & indignatio Auditorum?

NEC mirandum profectò si pluribus arrideat modus iste increpandi Concionatoribus; quid enim faciliùs quàm Auditores suos convicio afficere, probrisque omnibus onerare, in quo infirmi potentes sunt? Quid Concionibus illis facilius, in quibus enumeratione statuum factâ, aliqua cuilibet gravia exprobrantur peccata? Quantò siquidem difficilius est aliquem rectis laudibus debitè extollere, tantò facilius est ipsum conviciis oppetere. In omnibus sic te virum probum exhibeas, ut Auditorum tibi amorem & benevolentiam concilies, non tanquam Magister docens, sed tanquam amicus alloquens, super eorum sorte dolens gemensque, testificaberis te non nisi maximo cum animi dolore coactum esse calamitates eorum & delicta manifestare. Non ità tamen verba tua compones, quasi velles Auditores verbis alloqui officiosis: quin imò sanctæ impetu iracundiæ opus est tibi, æstuque passionis: minis terrere eos debes: tanta tamen & ipsis præbere intimi amoris commiserationisque in omnibus indicia, ut minacibus verbis tuis eos in terrendo allicias, & alliciendo terreas. Plebeïos rudioresque scio solo metu moveri, ideòque minis semper terrendos esse ejus modi Auditores, ità tamen ut terrentem etiam diligant Concionatorem; quantácumque enim timiditate circumdati sint plebæii Auditores, eos tamen solummodò timent à quibus pendent, cùmque à Concionatore nullomodo pendeant, nisi eorum noverit sibi amorem conciliare, cordaque allicere, ipsum clamantem minasque intentantem deridebunt & contemnent. Non læto tamen hilarique vultu, sed potiùs dolenti lacrymisque rigato, Auditoribus tuis æterna Inferni supplicia minari debes: vel ubicumque eos ipsismet Dei ultoris terrentibus verbis increpaveris, in modo saltèm increpandi, non nullam erga ipsos, quâ moveatur & alliciatur, commiserationem exhibere debes. Hæc de Apostrophe, nunc de Metaphorâ.

CONCIONATORI quasi impossibile est sæpè Metaphoras non adhibere, propter verborum ad omnia excogitata ritè exprimenda aptorum penuriam: undè impropriis sæpiùs uti cogitur, sicque de Metaphoris non cogitans, Metaphoras adhibet. Per ipsas autem, multiplices Auditoribus rerum, de quibus loquuntur, ideas & conceptûs exhibent, veritatesque varias mutuâ inter se relatione connexas: nullæ tamen exhibendæ sunt, nisi quarum connexionem primo quisque potest intuitu percipere. Auditores equidem Metaphora ut delectare & allicere queat, fallit ad tempus, ipsisque veritatem exhibet cognoscendam veste, ut ità dicam, extraneâ circumdatam: ipsis tamen notissima esse hujusmodi vestis, seu imago debet: nè in ipsâ veste cognoscendâ laborent quibus jam onerosum est veritatem veste hac coopertam inquirere; prolixior frequentiusque adhibita Metaphora sermoni noxiam affert obscuritatem. Auditoribus equidem jucundum est res sub extraneis verbis figurisque inquirere: ubi tamen durante Metaphorâ, res sic inquirendi continua & diuturnior incumbit necessitas, mox labore frangentur & tædio. Sed sat de secundo medio admovenda Auditorum corda, nunc ad tertium properemus.

SECTIO TERTIA.

DE AFFECTIBUS.

TANTA est Figuras inter & Affectiones connexio, ut ad excitandas in corde Auditorum Affectiones prosint Figuræ, & ad acuendas Figuras prosint vicissim cordis Affectiones. Hic autem notandum velim, distinguendum esse inter Affectiones Concionatoris, & Affectiones Auditoris; ex parte enim Concionatoris, habent rationem medii: ex parte verò Auditoris rationem finis. De utrisque simul, in sequentibus Quæstionibus dicam. Sit igitur

QUÆSTIO

QUÆSTIO PRIMA.
AN à Concionatore excitandi ſint Affectus?

AB inordinatis cordis humani motibus, ſeù Affectionibus, aut Affectibus ortum habere vitæ hujus perturbationes & ſcandala nemo neſcit: Concionatorum eſt igitur iniquos Affectus contrariis coërcere: quod quidem niſi per Conciones tuas aſſecutus fueris, has ſcito ſiccas, infirmasque & ſteriles eſſe. Eſto igitur plurima argumenta ac rationes ſtrictas & urgentes adhibueris ad probandum fugienda eſſe vitia, virtutesque colendas: eſto hoc Auditoribus invictè probatum fuerit: non ideò tamen vitam ducent ſanctiorem; quis enim negat plurima eſſe agenda, quæ non propterea agimus, etſi agenda non ignoremus, niſi ad hæc excitati aliundè fuerimus? Quis miles ignorat neceſſariam ſibi eſſe animi fortitudinem in prælio? Sæpe tamen non audent & aggrediuntur milites niſi, Duce clamante, & hortante: *viri eſtote & forti animo*, quod aliàs nuſquam auſi fuiſſent: ità à pari, etſi te concionante fateatur quilibet Auditor vera eſſe quæ doces, V. G. agendam eſſe pænitentiam, reſtituenda eſſe ablata: pænitentiam tamen non aget, nec ablata reſtituet, niſi ad hæc vividè à te fuerit excitatus. Et verò, ſi tanto ſtudio conetur Advocatus Judicibus aſtantibus non ſolùm probare certiſſima jura eſſe eorum, in quorum gratiam patrocinatur; ſed etiam concitare Judices ad ipſis quod juſtum eſt reſtituendum; quantò magis debet Concionator Evangelicus totis viribus peccatores excitare ad odium peccati, vel amorem virtutis, vel ad alios Affectûs! Quomodò autem hoc conſequetur, niſi mediantibus vividis Affectibus in Concione adhibitis. Noli igitur gloriari dicens te optimam Concionem habuiſſe, eò quòd in ipſâ optimam diviſionem, probationesque adhibueris, etſi enim tua tibi placuerit Concio, non item Auditoribus placuit, niſi ſe commotos & ad virtutum exercitium excitatos ſentiant: nec optima eſt Concio, niſi quatenùs apta eſt ad excitandos cordis Affectûs; ideò enim id pro fine Concionis cujuslibet reſervare debes, in quâ quidquid præcedit, ad intellectum præſertim illuminandum tendit, quo illu-

minato, movenda est voluntas ad agendum: nec te optimum esse Concionatorem existimes, nisi optimè noveris quanta sit inter utramque hanc animæ potentiam relatio, & quomodò illæ sese invicem adjuvent: ideò paucis repetendo dicta in totâ Concione, ea tamen repetere debes in quantùm necessaria sunt ut actu eorum recordentur Auditores, quibus se evictos fuisse sciunt, urgeanturque ad assentiendum conclusionibus quarum præmissis assensum se præbuisse reminiscuntur: tunc enim si vividè urgeantur, statuunt de agendis in futuro: hinc fletus & luctus, & quidquid sperare Concionator debet, de solâ peccatoris conversione & salute sollicitus. Tunc procul dubio cavendum tibi ne ipsemet langueas in dicendo & frigescas: sed è contrà vehementiùs tunc instare, urgere & hortari debes. Cavendum nè aut Historiæ, aut SS. Patrum Textus adhibeas, nisi fortè Textum aliquem Scripturæ, aut fragmentum ex Historiâ vel priùs adhibitâ, vel ità omnibus notâ, ut narratione novâ nequaquam indigeat. At adeò vivido, vehementique & universali impetu Auditorum corda expugnare debes, ut nullo dato ad resistendum instanti, arma ponere & manus dare cogantur. Nec desunt sanè Concionatores quorum Eloquentiam Apostolicam hujusmodi secutæ sunt innumeræ propè conversiones. Hanc & tu sectare igitur veram Eloquentiam.

QUÆSTIO II.

QUOMODO excitandi sint Affectus in Auditoribus?

QUÆ supra dixi de Morum Informatione & de Figuris, scilicèt has esse media ad movendum cor & voluntatem Auditorum: etsi sufficere possent ad tibi hîc respondendum; quia tamen genericè tantùm ibi locutus sum; hîc varios modos specialiores recensendos judicavi ut magis magisque tanti momenti hæc de Affectibus Quæstio enucleetur.

1°. UT primum & præcipuum tibi modum aperiam desideratos in cordibus Auditorum affectus excitandi; dicam quærenda esse eorum commoda & propensiones. Rationes statim subjungo; quidquid enim etiamsi præcla-

rissimum, & maximi momenti dixeris, si nullatenùs ad Auditores spectet, audient quidem, sed non movebuntur, nec de sanctiori vivendi ratione efficaciter cogitabunt: si verò quæ audiunt, ad ipsos maximè spectent, tunc æstuant, & conantur aut à se avertere mala, quæ sibi imminere certò sciunt, aut bona sibi comparare, quæ ipsis speranda proponuntur. Horum igitur propensionibus passionibusque studeas, prout jam supra explicavi ubi de internâ Morum informatione. Quid cogitent, quid sentiant, quid appetant, quid timeant, quid diligant, quid odio habeant, quibus lætentur, quibus tristentur inquire & perpende, ut juxta cujusque passiones & propensiones, mutato in meliùs earum objecto, eos excites; faciliùs enim est jam currentes incitare quò tendunt, quàm aut quiescentes & torpentes quò nolunt, impellere, aut contrario eos impulsu movere. V. G. Si eos ad reparandas detractiones suas excitare volueris: ipsis demonstra quàm acerbas effundere quærimonias solent contra proprios Detractores, quantas exigunt reparationes. Sed primùm ipsis veritatem enuclea, suas iis obligationes exhibe: quidquid in virtute de quâ loqueris amabile sit, quid in vitio detestabile, sicque ad affectus à te intentos præparabuntur. In ipsâmet Concionis pronunciatione ad affectus actu in ipsis excitatos attende, ut vehementiùs eos pergas affectus excitare, quibus incipient moveri; salubriora enim Medicus medicamenta præscribit ægrotantibus, qui morbi ipsorum symptomatum testis fuit, quàm qui ab alio audivit narrata.

2°. Affectus in Auditorum corde excitabis, si movearis & ipsemet; natura siquidem disertissimus quidam Orator est ad suadendum aptissimus, & quos excitandos motus docere ars non potest, hos ipsamet passio motus in Oratore excitat. Sentienti quod dicit, facillimum est aliis suadere: non sentienti verò difficile, & propè impossibile. Si cuilibet hoc Oratori necessarium est, ut eodem ipse, quo alios moveri vult, affectu moveatur: quantò magis tibi Evangelico necessarium Concionatori est? Cùm imò essentiale sit eò quòd eadem debeas æterna timere supplicia, eadem & sperare in Cœlis consequenda præmia: si autem contrà peccata insurgas, & mores

instruas, nonne eadem ipsemet vitare debes, de iis pœnitentiam agere, ab iis abhorrere? Te igitur terrore attonitum & dolore affectum exhibeas, & reverà sis intuitu veritatum quas Populos doces; nisi enim talem te esse videant Auditores quales illos esse volueris, nec dictis tuis credent, nec vitam emendabunt suam. Sicut nec ad arma capescenda cives excitaret dux exercitûs hilari vultu & cum cytharâ dicens: præ foribus adesse hostes & ascendere muros: ità nec Auditores tuos ad fugiendum peccatum excitabis dicens hilari vultu & tranquillo corde; ipsum puniendum esse suppliciis æternis.

3°. Si urgeas eos ex motivis quibusdam minoris quidem momenti quàm novissima hominis, sed magis sensibilibus, quatenùs actu & immediatiùs ipsos afficiunt. V. G. Si de Matrimonio dicens, probaveris primùm sæcularium beatitudinem in optimo Matrimonio sitam esse, cui benedixit Deus, insurgas posteà contrà adolescentulorum voluptates & effrenatam licentiam: necnon contrà puellarum vanitatem & illecebras, ac blandimenta, aliaque hujusmodi peccata, quibus impeditur Benedictio Divina, pro electione Sponsi & Sponsæ, & tranquillitate in Matrimonii statu: & alia hujusmodi quibus plerùmque adolescentuli puellæque magis moventur, quàm Theologicis rationibus.

4°. Si tempus observaveris ad vocis elevationem aut demissionem idoneum: non ipse quidem vocis sonus, sed quod ipsum & præcedit, & sequitur tales operatur in Audientium corde affectus: V. G. accuratâ & percellenti enumeratione factâ, adhibitâ nonnullâ probatione ex auctotitate Divinâ desumptâ, vocem exaltabis; & statim in nomine, & per viscera Christi obsecrabis, nomine ejus minas intentabis, invectivas & imprecationes adhibebis.

5°. Si primùm obstupefeceris peccatores, & desperationem quasi ipsis injeceris exhibitâ & probatâ scelerum eorum atrocitate, Justitiæque Divinæ, severitate, ac vindictæ punitionisque proximitate, statim media ostenderis quibus tanta vitare mala possint, & ad hæc adhibenda hortatus eos fueris; sic enim respirat Auditor, dilatatur cor ejus, fluentibusque lacrymis, Con-

cionatorem intùs fatetur Angelum salutis esse, ad peccatores à malis hùc usque non sat perpensis & prævisis liberandos, missum.

6°. Si impetu abreptus, quasi tui ipsius ità oblitus fueris, ut præ vividâ attentione ad ea quæ dicis, de nullo alio cogitans naturam imitatus fueris, eademque dixeris quæ passione aliquâ motus quicumque solet dicere: nec enim hic judicio opus est ut invectivæ, odia, iræ, indignatio lætitia & his similia oriantur: nec naturam accuratiùs imitari potes, quàm si ipsius te motibus tradideris: judicio inquam, tibi opus tunc non est, nisi ut caveas ab excessu, simulque Auditoribus intelligendum præbeas quid acturus esset quicumque eâdem passione verè raperetur, quam in te excitatam vident.

7°. Si affectus illos passim, prout res postulaverit & suggeret, intermiscueris, sivè in ipsismet probationibus, sivè in Morum informatione, sivè in narrationibus, nihil jucundius simùl & ad vincendum commovendumque aptius excogitari potest: maximè si in Concionis decursu, breves quoque nonnullas passim perorationes interposueris & exhortationes: hos imò per modum exhortationis, increpationisve, aut quærimoniæ optimum est. Sed quæres

QUÆSTIO III.

Ubi, & quandonam excitandi sint Affectus?

Ad hæc ut tibi accuratè respondeam, dico 1°. affectus illos non frequentiùs excitandos: nè, dum ipsis assuescunt Auditores. Fiant præ multitudine aut inutiles, aut invalidi & exiles.

2°. Si, post excitatum præclarum in Auditoribus affectum, eos videas optimè commotos & evictos, concludendam statim esse Concionem, esto plura tibi adhuc dicenda superessent; sic enim salubriter affecti discedent, de auditis diutiùs recordabuntur, & habebis intentum.

3°. Cùm inter excitandos affectus, lenes sint alii, alii verò vehementes, utrosque esse à te identidem permiscendos.

4°. Post alacres fervidosque affectus ab initio, aut

in Concionis decursu adhibitos, nequaquam esse ad frigida, languidaque dicta divertendum; sed fovendum vigorem & alacritatem nunc validas, vividasque vibrando sententias: nunc electam gravemque intermiscendo doctrinam; nunc per opportunam Morum informationem: nunc tandem per vividam facti descriptionem.

5°. Excitandos esse affectus illos tum in cujuscumque subdivisionis fine, tum in totius potissimum Concionis Peroratione.

QUÆSTIO IV.
Quid circa Perorationem sit notandum?

HIC cùm locus sit loquendi ex professo de ultimâ illâ Concionis parte, ut scias quid sit & qualis esse debeat, dico Perorationem ad solum cor pertinere, & esse solertem quemdam modum Concionem finiendi, quo Orator jam allatas in totâ Concione probationes omnes Auditorum oculis iterùm sic exhibet, ut præcipuæ propositioni Concionis quam probandam assumpserat, assensum practicum præbere cogatur. Quod quidem ut consequaris, arte tibi opus est non minimâ; si enim eodem semper modo Conciones tuas concludas, Auditoribus tædium, & fortè nauseam afferes; si verò advertant hanc te ideò adhibere probationum repetitionem, quia de ipsorum memoriâ dubitas: de hâc tanquam illatâ sibi injuriâ conquerentur. Tuum est igitur ità probationes jam allatas repetere, earumque validitatem & vim ità demonstrare in Peroratione, ut iis omnibus simul conglobatis, velut agmine facto, in Auditorum animos simul irrumpentibus, propositionis assumptæ elucescat certitudo & veritas: ut huic assensum jam nullus possit denegare. Paucis tamen hoc tibi erit præstandum, nè novam videaris incipere Concionem, fastidiumque generet inepta repetitio. Hic jam de instructione non agitur, non de probatione, quæ jam adhibitæ præsuponuntur; sed de vivido, urgentique affectu quo excitentur Auditores ad ea, quæ agenda sibi esse sciunt; ex vividâ siquidem, & cautè variatâ Peroratione, iterùm excitari solent affectus; quià ibi non absque gaudio præcipua argumenta reperit Auditor, eorumque difficiliùs

oblivifcitur. Igitur ftudio, laboreque & folertiâ nihil dignius, quàm Concionis conclufio; quia affectus motufque noviffimè excitati foli plerùmque fuperfunt, priùsque excitatos fedant & impediunt. In Perorationibus omnes quondam moralitates inclufæ erant; nunc verò ex illis conftituitur Concionis corpus, ideò non folùm breviores adhibendæ Perorationes funt & inftantiæ; fed etiam vividiores, &, ut ità dicam, igneæ. Igneam autem Perorationem dico, in quâ Divinorum metu Judiciorum perterretur peccator, ipfiusque in corde peccati horror ingeritur: vel ad amorem Dei & virtutis, charitatem Chriftianam, Evangelicamve perfectionem excitatur. 2°. Ut autem recedentes Auditores non fpeculativè tantùm, fed practicè ftatuant juxtà audita vitam agere, ad hoc eos poteris in Peroratione excitare ex motivis gloriæ, aut gehennæ æternæ, noviffimi Judicii, mortis, confcientiæ tranquillæ, vel remordentis: vel ex aliis maximi momenti. 3°. Si in Concione fuerint perterriti, in Peroratione fiduciæ, fpei & confolationis affectus excitabis. 4°. Nihil durum imperiofumque in inftantiis & Peroratione adhibeas, nihil minas redolens, nifi ex Sacris Libris depromptas. Minas autem per promiffa, exprobrationes per moderatas laudes lenire coneris. Quid enim vetat te terribilem fimul & manfuetum exhibere, terribilem quidem quoad veritates in Concione exhibitas, manfuetum verò quoad modum illas annuntiandi? 5°. Auditores adjuves in falutaribus affumendis confiliis: ipfis formulam fuggeras nonnullorum actuum, juxtà excitatos in illis affectus. 6°. Memento fervandum femper effe pro Peroratione validum quid, grave, vividum & fubftantiale, ut fi fortè in Concionis decurfu epulati fint Auditores, hoc ultimo, ut ità dicam poculo, veluti fuavi liquore exhilarentur: fin autem, ut deffectus hùc ufque in Concione inventi, per Perorationis perfectionem aliquo modo fuppleantur; noviffimè quippè audita tenaciùs fervabunt. Hæc de affectibus, nunc de Unctione Spirituali dicendum. Sit itaque

SECTIO QUARTA.

DE UNCTIONE SPIRITUALI, seu de quarto Medio ad Auditorum cor movendum idoneo.

NON sine causâ inter præcipua media ad Auditorum cor movendum idonea, Unctionem Spiritualem adnumeravi; non enim idonea tantùm est, sed & necessaria ad fructuosas Conciones sivè componendas sivè pronunciandas. Si autem necessaria, operæ prætium est utique, Concionatori Candidato indicare. 1°. Quid & quotuplex sit, 2°. Quibusnam eam possit mediis sibi comparare, 3°. Et quænam sint ejus impedimenta. Sectionem igitur istam in tres Quæstiones dividemus, quarum prima est

QUÆSTIO PRIMA.

QUID & quotuplex sit Unctio Spiritualis?

PLERISQUE Concionatoribus Unctionem deesse, asserit quidam loquens de Eloquentiâ Sacrâ, quid autem sit Unctio illa non dicit equidem, sed non obscurè annuit dicens: siccam frigidamque esse Concionem in quâ nihil dicit Orator ad cor, nihilque prodesse ad conversionem peccatoris Concionem in quâ non simùl & docetur & movetur. Ut igitur à proprietate, seu ab effectu describatur Unctio Spiritualis, alia est Donum Spiritûs Sancti: alia est vel innata, vel arte & studio comparata. Prior est forma quædam loquendi quæ se suaviter ingerit, penetrat, & cor pulsat: dicitur autem *Unctio Spiritualis* per similitudinem cum Unctione Olei, non absimiles effectûs in corporis Unctione producentis. Unctionem illam se habuisse à Spiritu Sancto testatur Concionatorum Magister Christus ad Prædicationem missus, dicens: *Impletam fuisse in se scripturam Isaiæ.* Cum igitur Concionatoribus Evangelicis Ministris, non minùs quàm Apostolis suis dixerit: *Se illos mittere sicut missus*

fuerat

fuerat ipsemet à Patre : non incongruum erit hic referre ipsamet verba Isaïæ, ut videat Concionator quisnam sit finis Missionis suæ, & quid intendere debeat in Concionibus habendis: „ *Spiritus Domini super me*, *eò quòd* „ *unxerit Dominus me* : *ad* annuntiandum mansuetis misit „ me, ut mederer contritis corde, & prædicarem cap- „ tivis indulgentiam, & clausis apertionem: ut prædi- „ carem annum placabilem Domino, & diem ultionis „ Deo nostro: ut consolarer omnes lugentes. " Illi profectò Unctionem Spiritualem habent Concionatores qui similes fructus producunt; sed conside, Concionator Candidate, hoc tibi donum impertietur qui mittet te. Quis autem mittet? Nisi qui ait Superioribus: „ *Qui vos* „ *audit me audit*: " Si electus fueris à Superioribus tuis ad tantum Ministerium; tuum est mediis uti necessariis tùm ad Unctionem Spiritualem obtinendam à Deo, tùm ad acquirendam aliam quæ vel innata est, vel arte & studio comparata. C. 16.

PRIOR est potiùs Donum Dei, quàm ingenii artisque opus. Posterior verò est brevis & concisa, difficilisque tum captûs, tum executionis: consistit autem in quibusdam brevibus dictis, sagittæ instar cor penetrantibus, suaviterque saucientibus, vulnusque asperum & diuturnum infligentibus: quod quidem vulnus à duplici causâ pendet, scilicèt à talium dictorum vi, & ab ipsiusmet cordis humani dispositione: sivè ex sermonis serie, sivè ex aliâ causà intimâ unde oritur congruentia quædam inter verba loquentis & cor Audientis. Sed quæres

QUÆSTIO II.

AN ad Concionem frugiferam Concionatori necessaria sit Unctio Spiritualis?

CONCIONATORIBUS Dona ad Prædicationem Evangelii necessaria, dividit Spiritus Sanctus prout vult: alius itaque potest ex abrupto concionari, alius verò non potest absque præparatione: alius Misericordiæ, alius terroris motûs excitat in corde Auditorum: alius verò ipsorum intellectum evincit: alii ad ignaros, alii ad doctos apti sunt; alii ad instruendum, alii

ad movendum. Sed experientiâ conſtat multò plures converſos eſſe ad Dominum per nonnullorum Unctionem, pietatemque ac devotionem Concionatorum, quàm per aliorum ſcientiam, elegantiam, ac perſuaſibilia humanæ ſapientiæ verba. Quomodo autem hoc fiat dici non poteſt, niſi quia qui Unctionem habere dicuntur, quodam modo utuntur cogitationes ſuas affectuoſè exprimendi, & nonnulla vocabula permiſcendi communia quidem, ſed congruè adhibita ad Dei amorem ingerendum quo ardeant, cordaque Auditorum ad Cæleſtia Regna adquæ anhelant trahenda: non inania profectò eorum ſunt eloquia, nec plauſûs, ſed cordis compunctionem ſecum trahentia: non vacuis profanæ eloquentiæ verbis, ſed virtute Spiritûs Sancti plena: non ſolas aures, ſed cordis medullas penetrantia: non in ſterilem admirationem, inanesve laudes concionantis, ſed in ſtuporem, in contritionem cordis convertentia: non divitum & magnatum vitiis thus adolentia, ſed obſtinatorum mentes efficaciâ virtuoſâ emolliunt. Conciones eorum lucent, paſcunt & ungunt: fovent ignem charitatis, nutriunt cordis deſideria ſancta, leniunt vitæ mortalis ſibi perpetuò ſuccedentia mala. Cæcis à viâ juſtitiæ & veritatis errantibus, amiſſum reddunt viſum, auribus ſurdis peccatorum voluptatis obturatione depravatis, ad percipiendam Cæleſtium vocem Mandatorum prætioſum infundunt auditum: intrinſecùs vulneratos ab infirmitate curant: peccati labe reſolutos, & lepræ contagione perfuſos, Deo in ipſis operante mundant: voluptuoſorum animas in viventi corpore defunctas, voluptatum & delictorum mole obrutas & ſepultas ad emendationis lucem vocant, Deoque reſſuſcitant, & morte vitali mortificant mortuos Deo. Ipſis concionantibus, abjiciunt Auditores opera tenebrarum, induunt arma lucis, & ſicut in die honeſtè ambulant. Horum Conciones corda confortant & impinguant Auditorum, exercitatos eorum reparant ſenſûs, virtutes roborant, mores vegetant bonos & honeſtos caſtasque fovent cogitationes. Spiritualis Unctionis Oleo ità infuſa ſunt ipſorum ſingula exhortationis verba, & Cæleſti illo ſale ità condita, ut ipſis jam nihil videatur in virtutibus colendis inſipidum

aut asperum. Quis hanc igitur Unctionem Spiritualem negare potest esse Concionatoribus ad frugiferas Conciones necessariam ? Sicut autem aliquâ passione abreptus quilibet homo , modos quosdam loquendi adhibet quos à nemine didicit, quibus nec unquàm studuit, hos tamen absque morâ & labore invenit, ut mentis abdita pandat: ità & Concionator Dei amore, pietatis Unctione, devotionis Oleo perfusus & unctus, mox in Concionibus suis hoc demonstrat; novit quippè optimè quid sit Rethorica illa cordis. Da igitur Concionatorem Unctionis Spiritualis thesauro fruentem, & sentient Auditores quid sibi dicat: si autem thesauro isto orbatum audiunt, frigidi sunt, & quid loquatur iste nesciunt: paucis prior consequitur verbis, quod prolixâ, imò & splendidâ Concione non potest posterior; quia novit ille, non verò iste infirmiorem cordis partem, & vulnus peritissimè detegere, & contra ipsum tela vibrare ignea. Sed jam mihi videor audire te quærentem

QUÆSTIO III.

QUIBUS nam Mediis Unctionem Spiritualem sibi possit comparare Concionator?

NON omnia sed præcipua ultrò indicabo tibi, Concionator Candidate Media & quidem optima: sunt autem Oratio & Meditatio, Probitas & Pietas, Zelus & Attentio ad finem Prædicationis. Veri siquidem Concionatoris in hoc sita potissimùm scientia est, ut Auditoris cor cognoscat, ad ipsum loquatur, & in eo supernaturales motus excitet, conversionem ipsius dico, quæ absque speciali gratiâ fieri nequaquam potest, quam operatur plerùmque Deus mediante Concione unctionis plenâ. Non solùm autem utilis, sed & necessaria tibi Oratio est, tùm ut gratiam Conversionis & pro Auditorum salute obtineas, & pro temetipso Unctionis Spiritualis donum. Tuum est igitur identidem in montem orationis ascendere; ibi enim loquetur ad cor tuum scrutator cordium Deus, & tu ad cor ipsius: ibi oratione & meditatione cælestium veritatum exardescet ignis charitatis Divinæ; ibi hauries affectionem & unctionem:

Primum Medium.

ibi accendetur ignis pietatis quo nisi ardeas ipsemet; alii profectò nequaquam, te concionante, ardesunt. Si verò attenderis in Oratione ad affectûs in corde tuo à Deo excitatos, eosque in totâ Concione tuâ spargendos curaveris; jacula hæc erunt jam à te probata, quæ cùm à gratiâ prodierint, ab eâ utique corda Auditorum infigentur, & salutari vulnere ipsa sanabunt; non enim sine causâ Spiritus Sanctus ab Ecclesiâ nuncupatur *Fons vivus*, *ignis charitas*, & *Spiritalis Unctio*. Sivè igitur antè compositionem Concionum tuarum, sivè antè earum pronunciationem, Hymnum *Veni Creator*, cùm toto cordis affectu recitabis. Aut *Veni Sancte Spiritus*.

Secundum Medium.

SED parùm est hoc, nisi simul probè & piè vivas; maximè siquidem semper distant inter se Concionatores, quorum unus de aliquâ veritate concionatur, de quâ reverâ & naturaliter est evictus: alter verò de eâdem aut non intimè, aut non nisi artis ope cor ejus penetratur: esto in utroque sit par ingenii sagacitas, studium & scientia, paria & talenta: non verò par pietas & probitas, qui probus & pius est, absque labore & arte cordis sui motus sequitur; alter verò seipsum excitare cogitur: ut deinde juxtà motum cordis Concionem componat: sed quantùm discrepant inter se utriusque Concio ratione sivè styli, sivè modorum loquendi, sivè affectuum? Prioris siquidem stylus Liber est, naturalis, varius, uber, vividus, fervens, movens & accendens: posterioris verò est servilis, coactus, frigidus, aridus, uniformis, languens & ad movendum ineptus; non aliam ob causam, nisi quia unus intimè percipit, sentitque quid dicit, non verò alter: unus piè vivit, non vero alius.

Tertium Medium.

SED requiritur prætereà verus gloriæ Dei salutisque animarum zelus, & ut ad finem sui ministerii attendat, scilicèt nihil intendere debet, nisi ut ex Concione quam aggreditur, recedat Auditor corde contritus, lacrymas fundens, conscientiâ suâ exstimulatus, oculis in terram demissis, silens & percutiens pectus suum: nihil intendere, nisi Auditores suos ad bonum inclinare, & avertere à malo: nisi eos movere, & ad salutis æternæ portum perducere: & hoc igitur ex toto cordis affectu concupiscas; tùnc enim ex mente tuâ ultrò procedent verba

Figuræque ad movendum maximè idoneæ, & cordis medullas penetrantia eloquia, Eloquentiæque verè Apostolicæ jacula, & quasi gladii utrâque parte acuti. Non sufficit Concionatori Probitas, requiritur & Pietatis Unctio, quæ ex intimo de rebus divinis sensu fluit: ex corde autem sicco & arido quid potest procedere præter verba emortua? Nisi vocem cor excitet, quid erit nisi æs sonans? Non movebuntur Auditores, nisi cum affectu loquatur Concionator: quomodò autem cum affectu loquetur, si non sentiat quid dicit? Per solam viri pii & justi vocem excitantur piæ cogitationes, rationibusque ejus pondus addit non minimum: probatque exemplum ejus non possibilem tantùm, sed & facilem esse virtutis cultum. Parùm est ipsum sine crimine esse, ipsum vult populus etiam sine deffectu, & ità irreprehensibilem, ut sibi dicentem hunc audire possint cum Apostolo: „
„ *Imitatores mei estote sicut & ego Christi.* “ Nè igitur
„ quisquam Ministerium tuum contemnat, esto exem-
„ plum Fidelium in verbo, in conversatione, in cha-
„ ritate, in fide. In omnibus te ipsum præbe exem-
„ plum bonorum operum, in Doctrinâ in integritate,
„ verbum sanum, irreprehensibile; ut is qui ex adverso
„ est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. “
Sed hæc sufficiant de Unctione ad frugiferæ Concionis compositionem necessariâ: super est ut de Stylo dicamus. Sit igitur

---

SECTIO QUINTA.

De Stylo in Compositione Concionis adhibendo Monita & Regulæ.

HUC usque Regulas & Monita tradidi circa necessaria ad varias Conciones componendas: congruum est ut nunc nonnulla de ipsâmet compositione Concionis tradam tibi Concionator Candidate, scilicet de Stylo seu modo se exprimendi in Concionis compositione, quem jam dixi (*e*) quasi colorem esse quemdam in toto

(*e*) Lib. 1. Q. 4.

Concionis corpore diffusum, ex quo ejus resultat venustas: ideòque non immeritò inter figuras ad docendum delectandumque ac simul movendum idoneas recenseri posse. De hoc igitur tanquàm de quinto medio ad movendam Auditorum voluntatem idoneo hîc dicturus ex professo, Sectionem istam in quinque capita dividam, in quorum primo, de idonei Styli necessitate & divisione: In secundo, de qualitatibus Styli in Concionibus adhibendi. In tertio, de defectibus in Stylo vitandis. In quarto, de quibusdam Concionis partibus specialius Stylo subjectis. In quinto, de excessu Styli & elocutionis.

CAPUT PRIMUM.

De idonei Styli necessitate et Divisione

IN capite isto quæremus 1°. Quid & quotuplex sit Stylus. 2°. An Stylus elegans necessarius sit ad Concionis frugiferæ compositionem. Ergo

QUÆSTIO PRIMA.

Quid & quotuplex sit stylus?

STYLUS, ut jam indicavi, nihil aliud est, nisi „ „ *Modus quo suas quis ideas scripto, vel verbo exprimit.* " Hinc de Stylo dici potest sicut de sensu: *Quot capita, tot Styli.* Ratione tamen rerum de quibus scripto vel verbo seu, calamo vel ore suas possunt sivè Oratores, sive Scriptores, ideas manifestare, alius est *Stylus simplex*, qui Catechismis, instructionibusque familiaribus congruit: *alius sublimis* qui Concionibus ordinatis: alius denique *mediocris*, seu de utroque participans qui homiliis convenit. Ad suum igitur quisque ingenium & indolem, attendere debet, & quolibet ex illis uti prout postulabit aut materia, aut Auditorum qualitas, talis enim ad mediocrem aptus erit: ad sublimem verò ineptus. Mihi crede, noli transmeare ultra sphæram activitatis

Stylus simplex. tuæ, nè ridiculus habearis. *Simplex* dicitur *Stylus* non ut contemnatur, sed ut ab aliis distinguatur; ipsi enim nec minor in esse solertia debet, nec rectitudo minor

quàm aliis. Sicut autem nec minùs uberes fructus affert; nec visu minùs jucunda est arbor coactæ brevitatis, quàm ventis patens & magna: ità & Stylus *Simplex* debita cum proportione parvus. Elegans autem quilibet Stylus est in quo non idea, affectusve ingenuus & simplex turgidè exprimitur; sed in quo, suo quæque loco aptè ponuntur. *Sublimis* dicitur Stylus qui cùm præclaris nitatur loquendi formulis, præclaras de magnitudine dicendorum, & conceptuum ideas ingerit, elevatus & *Sublimis* est, sed non turgidus, non inflatus aut tumidus. *Mediocris* tandem nuncupatus, qui & de *Sublimis* majestate, & de *Simplicis* familiaritate participat homiliis, moralibusque ideò congruit Concionibus, & ut plurimùm in iis adhibetur; quia omnium captui magis est accommodatus: esto à sublimi declines Stylo, putido tamen aut vili utendum esse ne putes: ità sit simplex, ut vi suâ non careat: ità vehemens, ut durus non sit: prudens esto in eligendis quibuscumque ad Concionis compositionem necessariis, sicut ædificator in necessariis ad Domus Palatiive constructionem: sed & prudentiorem adhùc & solertiorem te volo in inventorum & electorum dispositione & constructione; sic loquentem, ut clarè percipiant Auditores veritates quas ipsemet percipis, & simul ab eis moveantur. Si pauciora dixeris, obscuris eris: si prolixiora, onerosus: si eadem pluries repetas, fastidiosa erit Concio tua: optima verò, si ad suadendum & movendum idonea fuerit. Quæres igitur

QUÆSTIO II.

AN ad Concionem frugiferam necessarius sit Stylus elegans?

CONCIONATOREM Sacrum decet accuratè & præclarè loqui, & rectè excogitata rectè pariter palàm proferre. Veritates autem Evangelicæ si verâ cum elegantiâ annuntientur, vividiores, jucundiores, imò & quasi visibiliores fiunt radio, simillimæ per christallum apparenti. Quantùm præstat solertia robori, tantùm & elegantia Styli rectè excogitatis, sublimibus idæis, sensibus Religiosis, patheticisque confert affecti-

bus, ex quibus vera constat Eloquentia Sacra. Sicut Filium suum concinnat & excolit Mater, quia & ipsum diligit, & ab aliis vult diligi; ità & tu, Concionator Christianè, veritates Evangelicas non fucare, sed excolere debes & exornare; nè fastidium generantes, Auditorum cordis intima non repleant. Si compositionem & Stylum neglexeris, aut pigritiæ reus eris, aut Auditores contemnis, quibus tamen & laborem debes & studium. Quidquid in Concione ingenium Auditoris torquet, & coactionem sapit, fastidium affert & aversionem, attentionemque impedit: quomodò ergo inserviret ad suadendum & movendum? Necessarium est igitur ut Auditoribus placeant Conciones tuæ: quomodò autem placebunt, nisi egregium in iis Stylum adhibueris? Nisi ità veritates Evangelicas ornaveris, ut nova ipsis vis addatur, magis elucescant, & ab Auditoribus audiantur libentiùs? Necessarius est igitur tibi Stylus elegans & Sacræ Eloquentiæ congruens. Hic quæres utique

CAPUT SECUNDUM.

DE STYLI QUALITATIBUS.

INTER multiplices admittendas in Stylo qualitates, très hîc tantum præcipuas recensebo de quibus quatuor Quæstiones proponam. Scilicet libertatem, novitatem, & varietatem: de cæteris breviùs dicam per modum coronidis. Sit igitur

QUÆSTIO PRIMA.

QUÆNAM requiratur libertas in Stylo?

LIBERUM Stylum eum dico, qui expeditus, agilis, simplex & ingenuus est. Ea est enim Eloquentiæ Sacræ libertas, ut Stylum quemdam requirat, inquo nec ars appareat, nec studium nec artificium; sed sola natura studio, reflexionibus, conversatione & arte expolita: artis autem tota ideò est vis adhibenda, ut naturæ amissam per peccatum primarium perfectionem restituat, quò usque nisi pervenerit deficit ars: Si verò ultrà

ultrà progressa fuerit, vitiosa est per excessum. Loquere igitur proùt in statu innocentiæ locutus fuisset homo, & Stylus tuus erit Liber, expeditus, facilis, simplex & ingenuus, à quo procùl erunt exquisita & inusitata vocabula, phrases ad lineam adscriptæ quarum singula numerata sunt verba, syllabæque ponderatæ. Procùl erunt periodi illæ ejusdem semper numeri & concentûs, soni & harmoniæ; aberunt & splendidæ figuræ illæ totam, ut ità dicam, Oratoris artem præ se ferentes. Absint verò in Concione tuâ non nulla quæ neglecta videantur, fortuitò adhibita & quasi ex deffectu advertentiæ, aut casu irrepserint; sic enim non ab arte, sed ab ipsâmet naturâ, quam ars imitari conatur, prodiisse credetur Concio.

QUÆSTIO II.

QUÆNAM & quotuplex requiratur in Stylo Novitas?

SEXTUPLEX est novitas adhibenda in Stylo, ut possit Auditores admiratione & delectatione allicere: Non quidem 1°. Novitas argumentorum seu veritatum, aut virtutum, Mysteriorumve, quæ eædem semper fuerunt & erunt: non 2°. Novitas doctrinæ; à Sacro enim pulpito eliminanda quæcumque doctrina est, nobis à venerabili & Sacrâ antiquitate non tradita: non 3°. Novitas in severitate, quæ Evangelicæ severitatis fines prætergrediatur: Sed 1°. *Novitas Ichnographia* seù divisionis & ordinis circa materiam adhibiti; quid prohibet enim novas in his, secluso tamen acerrationis periculo, calcare semitas? Ex materiæ visceribus divisiones & subdivisiones quæ fortè non dùm inventæ sunt invenire? Novum ordinem novumque adhibere prospectum, servato tamen inviolabiliter naturæ rectæque rationis jure. 2°. *Novitas Reflexionum*: adeò enim immensæ sunt Religionis nostræ veritates, ut si eas perscrutari volueris, semper aliquid novi dicendum inventurus sis. 3°. *Novitas Rationum* popularium simul & solidarum, quas scilicèt ex ipsorummet Auditorum corde & intellectu depromes. 4°. *Novitas Conceptuum* qui nempe etsi

Prima Styli Novitas.

Secunda Novitas Reflexionum.

Tertia Novitas.

Quarta Novitas.

ab omnibus excogitari possint, plerùmque tamen non excogitantur, nec consequenter ab aliis solent adhiberi.

Quinta Novitas. 5°. *Novitas Expressionum* : non quidem verborum quorum usus non dum invaluerit ; sed quatenùs communibus usitatisque verbis novum quemdam sensum tribuis, non coactum quidem, sed ex quodam ingenii & cordis impetu ortum, cùm scilicèt vividè & præclarè cogitata sua exprimere volens Orator, ex ipsorummet communium verborum naturalis & communis significationis visceribus quosdam depromit expressiones quibus novum tribuit sensum; ipsummet enim cor tuum si excitaveris, propè innumeros tibi modos cogitata tua exprimendi suppeditabit novos simul & naturales, ideòque mirabiliores ad percellendum aptiores.

Sexta Novitas. 6°. *Novitas* denique *Affectuum* : non quasi aut quod alii non sentiunt aut aliter ac sentiunt sentias : sed quatenùs ipsemet intimè sentiens quod alii sentire debent circa ea quæ dicis, verbis tuis imprimas quod intimè sentis; eò enim ipso quòd præcisè id quod debet rarò sentit quilibet Orator, rariùsque quod sentit rectè exprimit, si utrumque præstiteris novus erit Stylus tuus.

QUÆSTIO III.

QUID *sit Varietas Styli ?*

NON sufficit in Stylo novitas, requiritur simul & varietas: non quidem quòd Concio tua sit Stylo diverso fabricanda; sed in eodem Stylo adesse debet varietas ad tædium avertendum aptissima; quid enim tædio generando aptius est, quàm Concio in cujus primâ periodo, cæterarum omnium ex quibus constat exemplar invenitur ? Quid verò jucundius & fastidio eliminando aptius quàm si pro rerum varietate Stylo utaris nunc sublimi, præclaro & alto : nunc humili & quasi summâ humo tenùs depresso, nunquam tamen vili & reptanti : nunc quasi circino dimenso & concinno, ità tamen ut dum additur ipsi numerus & harmoniæ suavitas, non detrahatur pondus, vis & gravitas : aliquandò sit incomptus & incompositus absque numero, & circini descriptione : aliquandò strictus & præcisus, non nun-

quàm verò diffusior & profusior : nunc floribus consspersus, nunc spinis, id est non semper floridus: ità ut vehementiæ ipsius succedat suavitas, moderatio & serenitas : nusquàm deficiens fit aut languens, sed vividus semper, & sub quâcumque veste animatus : plerùmque gravis & severus, & identidem lenior & amænior : semper increscat, & ut accedit Concionis finis, ità ipsi nova vis & rapiditas : prout contingit fluvio, qui licèt idem sit in se, in defluxu tamen ità est varius pro alvei latitudine aut angustiâ, ut nunc lentè, nunc rapidè fluat: nunc tranquillè & absque fremitu, nunc maximo cum murmure & fremitu inter rupes rapiatur præceps : nunc per amænos & uberes campos, nunc per steriles & injucundos : quò propiùs ad mare fluit, eò & fluit rapidiùs : ità & in Stylo necessaria est jucunda varietas.

QUÆSTIO IV.

QUOTUPLEX admittenda sit in Stylo Varietas?

QUINTUPLICEM dico admittendam esse varietatem in Stylo : scilicèt 1°. Ratione Expressionum. 2°. Ratione Excogitatorum. 3°. Ratione Affectuum. 4°. Ratione Transitionum. 5°. Ratione Moralitatum.

Dico 1°. *Ratione Expressionum* & modorum loquendi, seu figurarum : non enim ut quibusdam placet à Sacris sunt Concionibus eliminandæ figuræ, nisi simul & eliminanda ab illis ipsamet Eloquentia sit, quod absit. Esto figuris non indigeat Catechista Christianæ Religionis veritates tantummodò narrans & explanans; at quot & quantis figuris nunc lenibus, nunc vehementibus opus est Concionatori, ut easdem possit veritates exhibere diligendas, corda excitare, conscientias movere, ex peccatoris corde voluptates evellere, virtutis amorem, & vitii horrorem injicere? Figuris autem opus est, non ab arte & studio partis, sed à Zelo & Spiritu Divino inspiratis : non ascitis, nimioque studio exquisitis, sed simplicibus & nativis, totamque vim, splendorem venustatemque suam ex solâ cordis abundantiâ, non ex ingenii subtilitate mutuantibus Unicam igitur animarum Prima Varietas.

quære salutem, tuncque cor tuum Zelus Domûs Dei comedet, in te loquetur Spiritus Domini, quòcumque te rapiet, & omnimodè vertet & movebit multiformis gratia Dei: tunc turmatim erumpent ex ore tuo figuræ propè innumeræ quasi ignea jacula, quæ cùm fuerint in corde tuo fabricata & peracuta, Auditorum corda penetrabunt: vividæ erunt & ardentes sagittæ, flammasque ubique effundent; erunt & variæ ac multiplices pro variis motibus ardoris & Zeli quo replebitur cor tuum. En varietas Styli Ratione figurarum.

Secunda Varietas. DICO 2°. *Ratione Cogitationum:* has enim sic variare debes, ut quot phrases, si fieri potest, tot & cogitationes sint; eidem siquidem non diu adhærere, sed quantùm opus fuerit explicatâ unâ, ad alteram properare debes, ne Auditoribus tædium afferas. Nec eamdem diversi modè invertere, nisi novus indè splendor, nova & vis eidem addatur.

Tertia Varietas. DICO 3°. *Ratione Affectuum*: ad Eloquentiam siquidem aptus non est ille qui aut non excitatur & movetur, aut variè non movetur pro occurrentium objectorum varietate. Alii eodem semper affectu moventur in quâlibet Concione, quantacumque sit rerum varietas: alii verò ad omnia sunt insensibiles: tu verò erga singula objecta, & omnibus quibus opus est affectibus moveri debes & quantùm oportet: præclaro scilicèt affectu erga præclara, vivido erga vivida, & leni erga lenia: quod quidem si in te fueris expertus: ut enucleabitur Concionis materia, ità & varii affectus successivè in corde tuo excitabuntur, alii scilicèt vehementes, alii suaves: alii præclari & elati: alii verò demissi & delicati: hos sentiet & diliget cor Auditoris, hisque ità delectabitur, ut quòcumque volueris vertas illud.

Quarta Varietas. DICO tandem requiri varietatem *Moralitatum* in Stylo: nunc scilicèt adhibitâ exhortatione, nunc increpatione, nunc vitii aut virtutis descriptione de quibus suprà. De varietate transitionum dicemus infrà.

Cæteræ Styli qualitates. REQUIRUNTUR præthereà Harmonia, Jucunditas, Suavitas & Perspicuitas in Stylo; quia hæc cùm Auditori pleceant, ipsum præparant ad suasionem & affectus. Ubi notandum velim 1°. vividiorem plerùmque esse ter-

minorum definitionem, quàm ipſemet terminus. 2°. Vehementiorem fieri Concionem, cum ab eâ aufferuntur particulæ conjunctivæ, rationeſque coacervantur. 3°. Inter Styli qualitates minimam non eſſe Perſpicuitatem; non enim loquimur niſi ut intelligamur: Perſpicuitatem verò tunc adeſſe, cùm ſtatim ad res, non verò ad verba ducitur Auditor: ſatiùsque eſſe à Grammaticis contemni, quàm à Populo non intelligi.

CAPUT TERTIUM.

DE DEFECTIBUS IN STILO VITANDIS.

UT accuratiùs procedamus in hâc Quæſtione, notandum velim quinque potiſſimùm ex Capitibus oriri poſſe defectus in elocutione: ſcilicèt ex verbis, conſtructione verborum, conjunctionibus, periodis & tranſitionibus: & enucleanda ſunt ea quæ circa hæc requiruntur ad rectam elocutionem & ſtylum: tibique demonſtrandum, Concionator Candidate, quinam circa ſingula defectus ſimul & exceſſus ſint vitandi. Sit itaque

ARTICULUS PRIMUS.

DE DEFECTIBUS SPECTANTIBUS AD VERBA.

Quot & quales ſint?

INTER Verba (ſeù vocabula vel terminos,) alia ſunt vetera, alia nova, alia impropria, alia inutilia, alia denique metaphorica. A verbis apud veteres Gallos uſitatis nemo utique diffitetur abſtinendum eſſe in Concione; ſivè quia vix hodiè intelliguntur, ſivè quia ad riſum Auditorum movendum apta ſunt. *Nova* autem, ſeu quæ non dum ſunt communi uſu recepta, Concionator non debet invenire, imò inventa è quibuſdam Scriptoribus nequaquam adhibere quia plerùmque ſufficiunt ad Concionis fructum impediendum: auditis enim hujuſmodi verbis, à debitâ attentione avocantur Auditores; vel quia attendunt ad verba quæ neſciebant

Primus defectus. Verba nova.

nec audierant: vel quia ipsa non approbant: sicque totus est Auditoris animus circa unum vel plurima verba occupatus, quorum usui resistit, & ob quæ Concionatorem contemnit & ridiculum clamat: vel de iis memoriâ retinendis unicè curat, ut his vicissim utatur in conversationibus. Idem dico de quibusdam loquendi modis qui in solis conversationibus usu sunt recepti. Licitum quidem est verba adhibere vulgariter inusitata, idest quæ in familiari & populari conversatione non solent adhiberi: sed cavendum ne Auditoribus omninò sit incognita eorum significatio, saltèm non stupidis: nè sias quibus loqueris barbarus. *Impropria* vocabula ea hîc intelliguntur quæ in se quidem bona, & usu recepta sunt, sed à quibusdam non nunquam sivè ex ignorantiâ, sivè ex inadvertentiâ adhibentur ad aliquid exprimendum quod ex naturâ suâ & ex usu communi non significant. Esto autem hæc in Dictionariis reperiantur tanquam usu recepta; his tamen non semper & ubique est utendum; sicut enim ex optimis lapidibus, sed ineptè collocatis, inepta construi potest domus: ità & ex optimis vocabulis ineptè adhibitis inepta fiet Concio, prout contingit nonnullis quis sub prætextu Analogiæ in quibusdam vocabulis inventæ, terminos adhibent intentum nullatenùs ex se significantes. *Inutilia* verò ea vocabula dico quæ vel in se nihil, vel minùs quàm intenditur significant: talia sunt Epitheta, Synonyma, Adverbia, & alia hujusmodi vocabula sensu vacua: ab impropriis igitur & ab inutilibus ità abstineas ut ea tantùm adhibeas quæ propria & utilia sunt, & ad mentem authoris; & nullum de quo dicere non possis cur ipsum hîc aut illîc collocaveris: nullum cui non sua insit vis & significatio distincta, novamque aliis ideam non superaddat.

Secundus defectus. Impropria.

Tertius defectus. Verba inutilia.

Circa *Metaphorica* vero vocabula: non diffiteor Metaphoras esse utillimas, linguæ enim inopiam compensant, formularum loquendi provident varietati, variisque dicentium intentis inserviunt: cùmque Metaphora sit similitudo in compendium redacta, plùs inservit Metaphora quàm similitudo quæ longa plerùmque esse solet: resque melius alacriùsque exprimit, quàm propria verba: has igitur noli prorsùs vitare, nè venustate & decore non

Metaphorica.

exiguo priventur Conciones tuæ : nec has frequentiùs adhibeas, nè quæ propriâ sub facie utiliùs perpendi possunt obscurentur per Metaphoras : nec ullam adhibeas nisi communi usu receptam, cujus sensus æquè facilè percipiatur ac proprius & naturalis; alioquin à debitâ attentione non modicùm avocantur Auditores de sensu abscondito inveniendo, non de rebus cogitantes.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DEFECTIBUS SPECTANTIBUS AD CONSTRUCTIONEM.

Quot & quales sint?

GRAMMATICORUM est constructionis castigatæ Regulas tradere, Rhetorum verò hanc jucundam efficere. Elocutionis, autem puritas Grammaticæ corona est, fundamentum verò Eloquentiæ. Hinc quidquid contrà syntaxis Regulas peccat, cùm peccet pariter contrà Regulas Elocutionis, non minùs ista quàm illa à solecismis abhorret. Qui plura igitur de constructione desiderat Grammaticos & Rhetores consulat; hìc autem mihi quædam tantùm notanda incumbunt præ cæteris necessaria: ac 1°. Quidem notandum velim cavendum esse à constructione ex quâ resultat ambiguitas in sensu, ubi videlicèt non statim judicare Auditores possunt utri ex præcedentibus substantivis nominibus applicanda sint quæ sequuntur. Oritur autem ambiguitas hujus modi cùm parùm, curas de adhibendis synonymis, vel de repetendis nominativis, eorumque loco adhibes pronomina *meus*, *mea*, *meum* : *suus*, *sua*, *suum* : vel relativa *qui*, *quæ*, *quod* : vel articulos *ille*, *illa*, *illud* : hæc equidem Sermonem abbreviant ; nisi tamen caveas, ipsi non parvam afferent obscuritatem, maximè si duo simùl substantiva adhibueris ; tùnc enim nisi cuilibet propositioni præponas aut nominativum, aut synonymum, laborabit Auditor in eo inveniendo, cùm non minimo erroris periculo. Ideò autem sic cogimur nominativa in phrasis cujuslibet principio collocare ; quià cùm in linguâ nostrâ Gallicâ Primus defectus.

nec verba conjugentur, nec nomina declinentur ficut in Latinâ & Græcâ, soli nobis suppetunt articuli ad nomina declinanda: verba verò auxiliaria *habeo*, & *sum*, ad cætera conjuganda: quo fit ut faciliùs obliviscamur, vel potiùs ab intellectu effugiant nomina substantiva ad quæ cætera omnia referuntur.

Secundus defectus. 2°. Ab alio defectu non minimo cavendum: cùm scilicèt, (prout plerùmque defectu attentionis contingit,) eadem constructio duobus vocabulis datur, quæ idem tamen regimen non patiuntur. V. G. Si diceres: „ *Ubique nihil videbatur nisi luctus, sonique luctuosi &c.* „ Soni enim non videntur, sed audiuntur.

Tertius defectus. 3°. Cavendum & à phrasibus periodisque longioribus; quià plerùmque ex illis resultat indigesta rerum ineptarum farrago: cùm videlicèt ex coacervatis in eâdem periodo plurimis ideis, eximiisque super additis expressionibus, confusus & obscurus tantùm resultat sensus: ex quo innuitur loquentem optimum quidem velle aliquid dicere: non autem sic loqui ut intelligatur quid velit dicere: cavebis igitur non solùm ab obscuris intricatisque hisce loquendi modis: sed etiam

Quartus defectus. 4°. ab insulsâ & studiosiùs exquisitâ sermonis venustate à splendidis scilicèt terminis, præclaris allusionibus; micantibus comparationibus quibus uti solent non nulli qui ut res exprimant maximè communes omnem suam ostentant eruditionem.

CAPUT QUARTUM.

De quibusdam Partibus Concionis Stylo subjectis.

TRIA potissimùm in quâlibet Concione in quibus elucet Stylus; periodi scilicet, connexiones & transitiones. Circa hæc dicam quid sit tibi necessarium, & quidem in quatuor Paragraphis.

§. I.

Quid circa Periodos notandum sit?

CIRCA Periodos quæ Orationis partes quædam sunt ex pluribus verborum ritè ordinatorum mem-

bris

bris compositæ, cùm aliæ breves sint, aliæ verò prolixiores: sæpiùs adhibendas esse dico magnas Periodos utpotè majestatem redolentes: quia tamen 1°. Ex hujus speciei Periodorum continuatione fatigantur Auditores, imò & Concionatores ipsimet in iis componendis multùm temporis studiique impendentes, & 2°. Quià non rarò sivè ob materiæ inopiam & sterilitatem, sivè scientiæ defectu, ut intentarum molem Periodorum compleant, plura per sæpè solent adhibere vana, superflua, ac verè futi ia, ex quibus Concionis resultat molesta ineptia: ideò satiùs erit tibi breves coagmentare Periodos quæ facilioris sunt constructionis pro Concionatore, levioris que pro Auditore ponderis ac molestia: vel si malueris brevibus prolixiores intermiscebis.

§. 2.

QUID circà Connexiones & Transitiones simul sumptas sit notandum?

EX optimâ Connexionum & Transitionum dispositione, inter antecedentia & consequentia oritur potissimùm perspicuitas visque sermonis: oritur & facilitas memoriâ retinendi principia & consequentia prævidendi: ad uniendas periodos, phrasesque, & cujusque probationis partes omnes, veluti parvulæ fibræ, quibus particularia fulciuntur & moventur membra: per Transiti nes verò fit transitus ab unâ ratione ad aliam, à ratiocinio ad authoritatem, ab unâ Concionis parte ad aliam, à Textûs expositione ad *Ave Maria*: & ab introductione ad divisionem, sunt ita quasi præcipuorum corpori membrorum articuli & juncturæ. Cùm itaque secundùm plùs & minùs extensionis discrepent inter se Connexio & Transitio; ideò de his hîc simul dicemus difficillimum esse ad earum inventionem juvandam speciales Regulas tradere; ab ipsâmet enim materiâ cùm sint depromendæ, non congruunt nisi nativæ fuerint & quasi materiæ ejusdem partes.

§. 3.

Quid circa Connexiones in particulari sit notandum?

A Duplici hîc scopulo tibi cavendum, Concionator Candidate; nè scilicèt aut negligentiùs aut studiosius jucundas hujusmodi Connexiones & Transiones exquiras; jucundè siquidem & nullâ interpositâ morâ sic deducendus est Auditoris animus ab ideâ ad ideam, donec id ipsum inferat ipsemet quod ab eo cupis concipiendum, ut ipsi molestæ non sint Concionis tuæ Connexiones; quia ubi attentionem violentam exposcit Concio strictior, jam aures renuit præbere fatigatus Auditor. Non nunquàm igitur à Connexionum illarum accurratiori usu abstineas: nec minimi inutilisve laboris esse putes, si ità phrasim intermiscere noveris, ut Concionis nullatenùs obrumpatur sensus & series. Si quæsieris autem *in quo potissimùm sita sint hujusmodi verborum idearumque Connexiones?* Sitas dicam in dispositione particularum, præpositionumque ac conjunctionum quarum usus maximi momenti est, difficultatis verò non minimæ, quia ipsis tanta vis inest & significatio cuique idiomati intima, ut nisi apprimè utrumque idioma calleas, ex uno in aliud Concionem transferre non possis, servatâ utriusque vi & perfectionis venustate; vocabulis siquidem istis *nam*, *sed*, *atqui*, *&*, *si*, *quòd*, *tamen*, aliisque plurimis hujusmodi, suus inest quidem sensus præcipuus, qui in quovis idiomate per similia verba interpretatur: sed intimam adeò & subtilem præ se fuerunt cum Scriptoris mente relationem: ut si in versione unam pro alia adhibueris particulam hujusmodi, tolerabilis quidem propter mutuam ipsarum affinitatem sensus aderit ipsis; venustas verò prorsùs evanescat.

Quid autem injucundius, quàm istæ aut similes adhibitæ à plerisque Connexiones in Concione: *reverrà*: *hoc ità verum est*: & *ut ostendatur vobis*: *hæc est Sancti N. mens*: *hoc etiam dicit Sanctus N. &c.?* *Numquid ergo inquies, inepta sunt hujusmodi Connexiones?* Absit: quin imò suum sæpiùs ipsis inesse fateor leporem: sed numquid præclaros Oratores eos dicam qui iisdem

usquequâque utuntur, nec alias noverunt unquàm? Absit & hoc à me. Connexiones de quibus hîc agimus alii vocant Figuras dictionis, alii præclaros loquendi modos, alii subtiles expressiones: sed quid meâ? Dùmmodò & ipsi sciant in præclarâ hâc Connexionum varietate, Eloquentiæ & Styli sitam partem esse non minimam. At instabis forsan dicens? *Nonne suprà* (b) *docuisti vehementiorem fieri Concionem cùm ab eâ auferantur particulæ conjunctivæ?* Docui utique & duce Longino, nec non præclarissimo *Massillon*: sed hoc intellige, quæso, de non nullis insolitis occasionibus, cùm scilicèt Stylo vehementiori opus est in aliquâ Concionis parte; sicut enim ad Musicorum jucunditatem concentuum optimè prosunt intermixta silentii intervalla, & interjectæ cessationes; ità & ad Styli venustatem prosunt Connexionum interjectæ subreptiones.

(b) §. 4. De reliq. Styli qualitatibus.

§. 4.

QUID circa Transitiones in particulari sit notandum?

ETSI hùc usque dicta de Connexionibus, possint, proportione servatâ, & de Transitionibus dici: majoris tamen gratiâ claritatis de istis hîc subjungo quædam scitu haud indigna. Transitionem describit Tullius: „ *Quæ cùm ostendit breviter quid dictum sit, proponit item brevi quid consequatur.* " Optimum non inficias ibo D.Thomam audire antè quamcumque Quæstionem à se ventilandam sicco & incompto modo Lectores præmonentem. *Cùm de tali materiâ dixerimus, postulat scientiæ ordo ut de tali nunc dicamus.* Optimè quidem tanquam Theologus coarcto & per-angusto Stylo scribens, sola Transitioni essentialia adhibens in summâ suâ Theologicâ: at Concionator debet allectiori jucundiorique modo ab uno ad aliud transire, non intellectum tantummodò vi rationum evicturus, sed & voluntatem innoxiâ arte allecturus. Inepto igitur & intolerabili noli labore insudare, ut scholasticam methodum circa Transitiones tenaciter sequaris in Concionibus; eò enim ipso quòd Concionem tanquam Theologicam Lectionem contexis, jam temetipsum Concionatorem diffiteris. Noli igitur Theologorum more primam, secundam, tertiam probationem, ac deinde

confirmationem nudè indicare : & isto similive sicco & arido modo objectiones solvendas proponere dicens: *At inquietis fortè: sed objiciet quis &c.* Hoc non me latet summam Concionis esse : sed & hanc Rhetoricis esse vestibus ornandam multò minùs te latet. Nec minùs inepta Transitio esset si diceres V. G. *Quæritur cur sitiverit Christus in Cruce? Ad quod respondens Pater N. &c.* Quantò magis si in responso temerè negaveris sensum litteralem, ut spiritualem astruas.

CAPUT QUINTUM.

DE EXCESSU STYLI ET ELOCUTIONIS.

DUO tantùm quærenda & statim enucleanda hîc sunt circa Styli & Elocutionis excessum : an scilicet sint excessus vitandi, & quales? Sequitur itaque

QUÆSTIO PRIMA.

AN vitandi sint excessus in Stylo & Elocutione?

EXCESSUS nomine hîc intelligitur nimia quædam sermonis venustas, & studiosius adhibita & exquisita sermonis ornamenta : per hujusmodi excessum peccare Concionatorem posse, quis Christianus inficias ibit? Cùm ipsimet Pagani sapientiam quærentes, id apertè dicant de Eloquentiâ non Sacrâ? Ait enim Tullius Oratorum Princeps, „ *Quæ sunt ampla & pulchra* „ *diu placere posse : quæ lepida & concinna citò satietate* „ *afficere aurium sensum fastidiosissimum, in omnibus rebus,* „ *voluptatibus maximis fastidium finitimum esse, citiùsque* „ *in Oratoris concinnis & fuco mentem offendi : suavitatem quærendam esse in Elocutione austeram & solidam,* „ *non dulcem ac decoctam : hisque exornationibus frequenter collocatis, non modò tolli authoritatem dicentis : sed* „ *& Auditorem offendi : genus Elocutionis & Styli eligendum esse quod non solùm delectet, sed & sine satietate* „ *delectet : si autem aliis generibus dicendi utamur, puerili* „ *Elocutione videbimur delectari.* " Si igitur in Eloquen-

tiâ etiam Prophanâ vitandi ſint exceſſus Elocutionis ornamentorum & figurarum; quantò magis in Eloquentiâ Sacrâ, in Evangelii Prædicatione, cujus veritatum ſimplicitas, auſteritasque & auctoritas fucum non patiuntur. Non patietur ſiquidem Deus peccatores ad pœnitentiam excitari per Concionatoris humanam Eloquentiam magis, quàm per ipſasmet, quas annuntiat, veritates. Cavere ad ſummum poſſumus nè Verbi Divini efficacitati noceat imprudentia ignorantiave, aut noſtræ urbanitas Elocutionis & Styli: cujus imò æque, nè dicam magis, periculoſus eſt in Evangelicâ Prædicatione exceſſus, quàm defectus; ſi enim Elocutionis venuſtate & ornamentis careant Conciones tuæ, ſolis non arridebunt delicatis & ſciolis, qui plerùmque non ut convertantur, Concionibus adſunt: Populis verò proderunt ad ſalutem, qui de ornamentis Concionum parùm curant; ſi autem è contra nimis ſplendeſcant Eloquentiæ floribus, nec percipit quidquam Populus, nec de rebus ſalutaribus curant docti, ſed de verbis tantùm & ornamentis. Caveas igitur ne cuidam curioſorum puſillo gregi placere ſtudeas, quorum cura hæc unica eſt, ut fucatas ac effœminatas Conciones recreationis gratiâ quaſi venentur: ſolidas verò & inanibus carentes ornamentis aut contemnunt, aut fugiunt.

At numquid, inquies, *injucunda dici debet Concio ſic compta & ornata?* Non injucundam utique hanc dico, ſed ejus noxia eſt perſuaſioni & animarum ſaluti: & ſimul Concionatoris ſaluti periculoſa, qui cùm ſic plausûs hominum & laudes potiùs, quàm animarum ſalutem quærere videatur, habet undè metuat dictum Evangelicum *Receperunt mercedem ſuam.* Non parvi igitur tuâ refert à me diſcere, & ſtatim quærere.

QUÆSTIO II.

QUINAM ſint exceſſus in Elocutione & Stylo vitandi?

NON per nova tantùm ac ſtudioſiùs exquiſita vocabula, noxia fit ratione exceſſûs Elocutio; non enim ſæpiùs in Concione occurrunt; ſed multò magis per Epithetorum additionem, per ordinem, numerum, mul-

titudinemque figurarum. Non desunt qui suum cuique substantivo adjectivum ubique junctum adhibentes, plurima plerùmque inutilia vocabula coacervant, frigidam Eloquentiam efficiunt, aut indigestam admittunt ineptarum rerum farraginem. Epithetis autem triplici modo abuti potest Concionator: vel 1°. scilicèt turgida & longiora vocabula studiosiùs quærendo, 2°. vel intempestivè, 3°. vel frequentiùs adhibendo. 1°. Epitheta autem nuncupantur *longiora* & composita vocabula: V. G. Si diceres: *Suaviter olens odor*: *Lucifer sol &c.* 2°. *Intempestiva* quæ rei non congruunt: V. G. si rebus minimis jungas adjectiva ista: *Divinum*, *Infinitum*, *Intolerabile*, *Inintelligibile*, *Æternum*, *&c.* 3°. *Inutilia* tandem ea dico quæ supponuntur & subaudiri debent, V. G. si dicas: *Lac album*, *sudor humidus*, *ignis calidus*, *&c.* Cùm autem de figuris jam diximus suprà in istius Libri Sectione secundâ hìc solùm super est ut Sectionem istam de Stylo concludamus per quædam Monita non minimi profectò momenti circa Stilum popularem, cujus descriptionem tradidi in Quæstionibus Procemialibus, ubi diximus in quo sita sit Eloquentia popularis. Memento igitur, Concionator Candidate Styli popularis nomine intelligendum non esse; prout nonnulli ineptè existimant, modum loquendi vilem & reptantem, rudem & incomptum, in quo scilicèt utitur Concionator terminis ex infimâ plebe desumptis, modisque loquendi porticum nundinariam redolentibus: comparationibus similitudinibusque quibusdam insulsis & aggrestibus. Memento non esse hoc *Stylum popularem*, sed potiùs rusticum; Evangelicæ enim Eloquentiæ gravitatem ac majestatem nequaquam decet familiaris ille concionandi modus, conversationi proximus: sed *popularem* dico *Stylum*, cui supra explicatæ qualitates ità insunt, ut Populorum tamen captum non exuperet. Memento insuper Populum etsi eleganter loqui nesciat, elegantem tamen odio non habere Elocutionem & Stylum, ac Eloquentiam verè Christianam suprà enucleatam: (*c*) ipsique nullatenus arridere nescioquam magniloquentiam quæ quasi nubibus elevata super Cœli cardines ambulare videtur: quam qui adhibere solent, eò ipso quòd à ne-

(*c*) Lib. 1. Quæst. 2. §. 8.

mine propè intelliguntur, gaudent ineptè & gloriantur. Hi profectò in aëra verberant, tanquàm æs ſonans & cymbalum tinniens, qui ſi pro Concionibus retributionem accipiant pecuniariam pretio æſtimabilem, non dubito quin ad reſtitutionem ſtrictiſſimè teneantur. Sed hæc ſufficiant de mediis ad Auditoris illuminandum intellectum, voluntatemque movendam per Conciones debitè fructuoſèque compoſitas. Nùnc de requiſitis ad earumdem fructuoſam Pronunciationem. Sit igitur

RHETORICÆ SACRÆ LIBER SEXTUS.

MONITA ET REGULÆ *Circa Pronunciationem.*

PRONUNCIATIO à Rhetoribus describitur: „ *Vocis gestuumque pro rerum, verborum & affec-* „ *tuum varietate conformatio:* " Nec immeri ò vox enim mediante auditu, gestus verò mediante visu Auditorum intellectum suo modo illuminant, & voluntatem movent. Cùm autem rectè Concionem pronunciare nemo possit quam memoriter non tenet, nec fructuosè nisi sibi Auditorum benevolentiam conciliet, Librum istum in tres Sectiones partior, & circà fructuosam Concionis Pronunciationem Monita & Regulas traditurus, in primâ Sectione Monita & Regulas tradam circà prærequisita in Concionatore ad fructuosam Concionis Pronunciationem. In secundâ, circà ipsammet Pronunciationem genericè spectatam. In tertiâ, circà ipsammet specialiùs consideratam. Sit igitur

SECTIO PRIMA.

DE PRÆREQUISITIS AD FRUCTUOSAM CONCIONIS CUJUSLIBET PRONUNCIATIONEM.

PRÆTER fructuosam Concionis pronunciandæ compositionem, de quâ huc usque Monita & Regulas tradidi, & donum Spiritûs Sancti ubivult spirantis,

tis, mentesque ſuorum viſitantis, ſupernâque gratiâ implentis quæ creavit pectora, ut credant Evangelio quotquot ſunt præordinati ad vitam æternam: duo inſuper prærequiruntur ex parte Concionatoris; ſcilicèt ut quidquid à ſe pendet præſtet 1°. ad ſibi conciliandum Auditorum ſuorum benevolentiam. 2°. Ut memoriam à naturâ acceptam foveat & adjuvet: pro utroque igitur media ſimul & Monita in duplici Capite ſum traditurus.

CAPUT PRIMUM.

De Prærequiſitis ad Fructuoſam Pronunciationem.

QUÆSTIO PRIMA.

Quibusnam mediis captanda ſit Auditorum benevolentia in ordine ad Pronunciationem?

AUDITORUM quorumcumque procul dubio benevolentiam tibi, & conſequenter attentionem conciliabis, (utique ad ipſorum aut converſionem, aut perfectionem neceſſariam,) ſi in te viderint debitam modeſtiam & venerationem: de quibus idcircò totidem Articulis ſcitu neceſſaria, ut accuratiùs dicam, ſit

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MODESTIA IN CONCIONATORE PRÆREQUISITA.

QUIDQUID Concionatori publicum amorem & æſtimationem conciliat, ipſum utique reddit ad ſuadendas Evangelicas veritates aptiſſimum; libenter enim quisque audit quos diligit & pluris facit, ipſisque ultrò credit: Herodes ſiquidem quamvis non diligeret Joannem, ſed metueret, ſciens tamen eum virum juſtum & ſanctum, *audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat*; quia æſtimabat: quantò magis igitur te audiuet

Populi, & te audito, plura facient, si te & dilexerint & æstimaverint Modestiâ prælucentem? Quomodò autem te libenter audirent, quomodò dictis tuis crederent, & mores immutarent in meliùs, si te aut non diligerent, aut odio haberent? Quomodò verò odio non haberent superbum, ferocem & arrogantem? Vel saltèm quomodò diligerent? Quomodò æstimarent? Quid igitur tibi magis necessarium quàm ab Auditoribus æstimari, ut finem Ministerii consequaris? At quodnam aptius medium ad hanc tibi comparandam æstimationem, quàm si modestum te in omnibus exhibeas, scilicèt in actione, voce, expressionibus, & laudum plausuumque contemptu? Nihil igitur sit in vultu gestisque tuis ac motibus inordinatum, nihil in voce durum asperumve, aut imperiosum, vel superbum, ferox, violentum aut iracundum sit neque in colloquiis & conversationibus, neque in ipsâmet Concionis Pronunciatione; vix enim assentitur Auditorum animus rationibus sibi per hujusmodi media propositis. Nihil asperum & audax in modis cogitata exprimendi : nihil in Auditorum laudem nequidem indirectè dicas, ut ipsorum in te laudes plaususque convertas : neque eos imiteris Concionatores, qui omni ope atque operâ curant, ut advertatur se Concionum suarum venustatem & excellentiam omnem optimè novisse; qui sibi ipsis plaudentes, risuque suppresso, seipsos landantes, adulatorum obsequiosorum plausus emendicare non erubescunt. Laudes autem hominum sic parvi pendas, ut cùm laude dignas Conciones composueris, idem tibi sit laudari, & non laudari.

QUÆSTIO II.

QUALIS veneratio item prærequisita in Concionatore?

VENERATIONEM, honoremque adhibere debes, 1°. erga Auditores, 2°. erga Ministerium tuum: erga Auditores quidem; quia si se advertant contemptos à Concionatore, ipsum vicissim ità contemnunt, ut vel eum audire nolint, vel dictis ejus non acquiescant: erga Ministerium verò tuum : quid enim veneratione honoreque dignius; quàm Verbum Divinum cujus Mi-

nister es, & veritates Sacræ Religionis quarum es organum? Quæres hic utique? *In quo ergo venerationi Auditoribus Ministerioque Concionatoris debitæ deesse possum?* Duplici, & optimæ interrogationi duplex responsum cùm debeatur, peccaturum te dico contrà debitum Auditoribus tuis honorem, sivè pulpitum ascendas nullâ, aut propè nullâ præmissâ præparatione, vixque sciens quid ipsis habeas dicendum: sivè aliquid in Concionibus dicas ex quo, jure meritò conqueri, irasci, aut in te indignatione commoveri possint; si etenim sacrum pulpitum te conscendisse advertant Populi absque ullo præmisso studio & labore, (quod utique facilè saltèm à plerisque Auditorum potest agnosci, dum hærentem te, & eadem centies repetentem audiunt,) non absque causâ conquerentur se despectos: Quantò majori jure conquerentur, si te audierint satyras mordacesque loquendi modos adhibentem? Non enim suaderi solet nec debet virtus cuiquam, ipsum, defectusque ejus deridendo, aut injuriosis verbis afficiendo: satisque est unicam satyram, aut mordacem loquendi modum adhibuisse, ad plebem universam contra commovendam. Nec potes sic Auditores despicere, quin simul Ministerium tuum despicias. Ut itaque venerationi Dei Verbo simul & Auditoribus debitæ non desis, priùs quàm pulpitum concedas, ora, stude, recogita, meditationi vaca.

CAPUT SECUNDUM.

DE SPECTANTIBUS AD MEMORIAM.

QUÆ de Memoriâ tanquam de secundo prærequisito ad frugiferam Concionis Pronunciationem scitu necessaria judicavi, duplici Articulo absolvemus: In priori quidem de defectu Memoriæ, quàm noxius sit, & quomodò suppleri possit: In posteriori verò de Memoriâ inquiremus quænam sit ejus utilitas & necessitas & quibusnam mediis foveri & juvari possit: & an satius sit Concionatorem loqui ex Memoriâ, quàm ex abundantiâ cordis. Sit igitur

ARTICULUS PRIMUS.

DE DEFECTU MEMORIÆ & PERTINENTIBUS AD IPSUM.

AUDITORIBUS nihil onerosius molestiusque est, quàm defectus Memoriæ in Concionatore, qui studio laborique ad Concionem addiscendam sat temporis non impendit, & quem timuit ipse laborem, patiuntur illi: sed numquid ipsemet non patitur in pulpito, quod pati priùs noluit in studii cubiculo? Meritò ergò pallescit in Pronunciatione, qui ad pronunciandum conscendit absque præparatione, descenditque cùm sudore & sine honore, qui ascendere non erubuit sine labore. Hærenti Concionatore in Pronunciatione quid tristiûs? Numquam ad dicta attendit, & de dicendis anxiè cogitare non desinit. Est & aliud ex Memoriæ defectu oriens fructuosæ Pronunciationi detrimentum: nulla scilicèt vocis congrua inflexio auditur, nullus rebus & dictis congruens videtur oris manuumve gestus: in actione libertas, varietasve nulla, nulla unctio: ex parte autem Auditorum nulla attentio nisi ad Concionatoris angustiam, & ingruentem confusionem: moventur non piis affectibus circa audita ad propriam salutem, sed miseratione erga dicentem in Pronunciatione balbutientem. *Dices non ex defectu studii & laboris, sed ex naturali timiditate oriri plerùmque mox narrata.* Optimè: sed undè timiditas illa? Nonne ex defectu studii? Qui enim Concionem apprimè callet, minùs saltèm timet, minùsque in pronunciando hæret; si tamen ex solâ innatâ timiditate oriantur suprà dicta, Ministerii, quo fungeris, auctoritatem recole: pulpitum te ascendisse ad docendum, ad arguendum recogita. Numquid non Auditori Concionator potiùs, quàm Auditor Concionatori debet timorem incutere? Numquid timere bebet Concionator pro Deo legatione fungens eorum judicium, quos arguere ex officio debet, tanquam Dei judicium non formidantes. Numquid adeò timendi sunt quos times, ii saltèm qui de

Memoriæ iniquitate non mirantur, dummodò Concionem non ſine labore & ſtudio conſtructam advertant. Si verò defectum ſtudii & laboris in te arguere poſſint cum fundamento, non mireris Memoriæ defectum, ſed emenda: timoremque ſic excuties. Iſtud autem Davidicum memineris: „ *Dominum non invocaverunt, illic* Pſal. 13. v. 5.
„ *trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* " Deum igitur invoca priusquàm pulpitum conſcendas, cùmque ſtudio & labori non perpeceris, ſi ſolam Dei gloriam, animarumque ſalutem intendas, miſſusque à Superioribus tuis fueris ad tantum opus: quid ſperare à Deo non debes? Qui dixit: „ *Nolite cogitare quomodò aut quid loquamini;* Math. 10.
„ *dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini; non enim* „ *vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui* „ *loquitur in vobis.* " Et „ *Ego dabo vobis os & ſapien-* Luc. 21.
„ *tiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes* „ *adverſarii veſtri.* " Si verò aut cucurreris non miſſus; aut ad oſtentandam ſcientiam, aut ad laudes captandas cucurreris ad ſacrum pulpitum, time quantâcumque Memoriâ prædítus ſis; talibus enim gloriam falſam quærentibus vera non rarò evenit confuſio. De cætero quærenti tibi *quomodo ſuppleri in caſu impræviſo poſſit deficiens Memoria*, occurrit reſponſum iſtud: ſi magnâ oris & loquendi facilitate præditus fueris, ſimulque ſtudendo, quasdam expreſſiones ſynonymas præparaveris, quas, earum defectu quas ſcripſiſti, in Concione pronunciandâ, adhibere in promptu poſſis, tunc profectò minùs timebis nè in Pronunciatione hæreas, aut etiam penitùs ſilere antè tempus cogeris. Sed hæc de pertinentibus ad Memoriæ defectum: Nunc dicendum

---

ARTICULUS SECUNDUS.

DE SPECTANTIBUS AD MEMORIAM NON DEFICIENTEM.

QUÆSTIO PRIMA.

QUÆNAM ſint Memoriæ neceſſitas & utilitates?

ADEO neceſſariam dico ad frugiferam Concionis Pronunciationem Memoriam eſſe, ut ſi optima adſit, bona videatur ipſamet Concio alioqui mediocris: Prima Memoriæ utilitas.

ſi verò jam bona ſit, videatur optima. Nec dicas: „ *Compenſatur Memoria per quamdam mihi innatam in* „ *dicendo fiduciam: aut per facilitatem loquendi ex abun-* „ *dantiâ cordis, ex abrupto, in promptu, nullâque paratâ* „ *in ſcriptis Concione.* " Eſto: at ſi his innatis nimiùm innitaris dotibus, & propterea, (ut nonnullis hujusmodi contingit,) indoli ſanitatique tuæ ac tempori ità ſervias, ut his non adjutus jucundam Concionem te non habere poſſe dicas; ſæpiùs utique langueſces in pulpito, donec incaleſcat in te imaginativa potentia, ſæpiùſque aliis jucundas non habebis Conciones. Quicumque igitur ordinatas uniformesque cupit habere, has memoriter diſcat neceſſe eſt; alioquin non niſi inordinatas multiformesque habebit; dum enim Memoriæ mandantur, ſæpiùs reviſæ accuratiùs perpenduntur, & paſſim emendatæ perfectione tandem gaudent majori. Orietur & alia tibi in memoriter addiſcendis Concionibus utilitas non minima: expreſſionibus ſcilicèt, modis dicendi acutis, egregiè enucleatis cogitatis replebitur Memoria tua, plurimisque S. Sripturæ & Patrum textibus, aliisque hujusmodi utillimis, quibus occurentè in promptu loquendi neceſſitate, optimè uti poteris: validas, urgentesque ac animum percellentes, diùque Memoriæ Auditorum inhærentes loquendi formulas invenies: numquid hæc, velim, incaleſcente Pronunciatione occurrent tibi intellectualiter tantùm, non verò memoriter ſimul Conciones addiſcenti? Si mihi annueris, audeo, libenterque dico:

Secunda utilitas.

Num. 11. „ *Quis tribuat ut omnis Populus ſic prophetet, & det eis* „ *Dominus Spiritum ſuum.* " Si hoc tibi dederit, vide nè abutaris gratiâ hâc gratis datâ, in detrimentum gratiæ gratum facientis; ſi verò non acceperis, & alias à me petieris Memoriæ utilitates, has cæteris addo contra nonnullos dicentes: per hunc memoriter Conciones addiſcendi morem relinqui zeli vim & ignem: quin è contra: 1°. quià quò tenaciùs Memoriâ tenueris dicenda, eò faciliùs poteris cùm affectu, unctione & zelo pronunciare: eò brevior ordinatiorque ac urgentior erit Concio tua: eò efficacior hujus Pronunciatio, utpotè ab arte minùs quàm à naturâ partam indicans Concionem. 2°. Quià ſi ex abrupto tantùm, & ex abundantiâ

Tertia utilitas.

cordis concionari volueris, nec de ſingulorum validitate & ordine judicandi tempus tibi aderit, nec ea ſi non congruant, tibique non arrideant, reſpuendi: imò hinc languor, & ſimul nimia prolixitas, hinc faſtidioſæ repetitiones, digreſſionesque ineptæ, hinc debitarum defectus connexionum relationumque inter ſingulas Concionis partes: hinc denique cogitationum expreſſionumque confuſio, & in abundantiâ verborum ſuffocatio & ſubmerſio. 3°. Quia quæcumque perfectè quis callet, ea Auditores magis movent dum pronunciantur. 4°. Quià plerisque Auditoribus non placet, nec conſequenter prodeſſe poteſt Concio habita in promptu & abſque ſtudio; cùm enim ordinatis & ornatis aſſueti ſint Concionibus, incomptis offenduntur.

QUÆSTIO II.

AN Concionatori ſatiùs ſit ex Memoriâ Conciones pronunciare, quàm ex abundantiâ cordis?

EX mox dictis patere tibi videtur, ſatiùs eſſe ex Memoria pronunciare Concionem: ſed audi incommoda hinc exurgentia: ferè ſiquidem impoſſibile eſt de verbis ſuis cogitantem Concionatorem magno cum fervore pronunciare: placent quidem, vel potiùs non diſplicent hujus Conciones, ſed non multùm movent: ſimiles eas dicam picturæ eximiæ quidem, ſed in ſolâ ſuperficie. Quid enim annuunt oculi Concionatoris aut uni objecto hærentes, aut indeterminatè errantes, aut aperti & non aſpicientes, quid indicant præter Concionem præcogitatam artificii ſuſpicionem præ ſe ferentem pro captandâ Auditorum credulitate? Qui autem ex abundantiâ cordis concionatur, non poteſt quin pluries erret circà Epitheta adhibenda: nec Stylo utitur laconico & conciſo, ſed alio quodam magis ingenuo de quo nihil ſuſpicantur Auditores: undè & faciliùs credunt, advertentesque cor ad cor ſuum loquens, parùm de verbis curant, cùmque procerto habeant Concionatorem pulpitum conſcendiſſe non ad plauſus & ſuffragia ſed ad animarum ſalutem, jam non de ipſo explorando cogitant, ſed de perpendendis Evangelicis veritatibus ſibi toto

cordis affectu à Concionatore annuntiatis. Dico itaque vividiores fore Conciones tuas, & ad movendos affectus aptiores etsi minùs ordinatas & ornatas, si ex proprio fonte loquaris, dummodò Stylo tibi connaturali & castigato utaris, tibique frequentibus lectionibus & habitu componendi efformato, vividiores, inquam, eas fore dico & aptiores, quàm si ex purâ Memoriâ Concionem pronunciares. Vel potiùs ut debitum servem medium, dico non solùm componendas esse Conciones & scribendas cum omnimodâ curâ & rectitudine, non solùm suo loco collocandas Probationes, Auctoritates, Ratiocinia, Transitiones, Passionesque & Affectus: sed ipsamet Epitheta, Synonima, Adverbia, Puncta imò & Virgulas, Memoriæque hæc omnia mandanda esse perindè ac si de verbo ad verbum essent à te pronuncianda, præsertim initia Transitionesque & notabiles Figuras: post hæc tamen optimum esse, si loquaris quasi nullo modo studuisses, non curans de resumendo vocabulo prætermisso, si Orationis vehementiâ & impetu quasi à torrente rapiaris in Pronunciatione; sicque totam Concionis materiam possideas, ut loqui ex cordis abundantiâ videaris; nec dubitare quisquam possit quin, quidquid inter concionandum quo quomodo dixeris, & perfectè scias, & intimè sentias. Super est ut respondeam quærenti

QUÆSTIO III.

QUIBUSNAM mediis juvari & foveri Memoria possit?

MEMORIA carentibus nullum superest ad hanc consequendam medium, demptâ Oratione ad Deum fusâ à quo omne donum perfectum. Juvari, foverique ac augeri, aut saltèm roborari duplici medio potest quæ jam habetur: per methodum scilicèt, & exercitationem. 1°. Methodum dico; longè enim faciliùs Memoriâ retinetur rectè ordinata, quàm omnimodo ordine orbata Oratio: miror quidem & absque invidiâ miror sensitivam quamdam non nullorum Memoriam qui cùm semel tantùm audierint, legerintve barbara, inordinata, imò & nihil significantia verba retinent: hos, inquam,

Primum medium.

inquam, miror, maximè si non minùs perfecto polleant judicio & intellectu. Præclari autem & virilis ingenii Concionator ab uno ratiocinio ad aliud progredi cùm assuescat, habitum tandem ità acquirit præclarum quid semper & fructuosum inveniendi de quo loquatur, ut quæ semel animo concepit, vix possit oblivisci. Medium autem maximum, vel potiùs unicum ad roborandam, fovendam, augendamque Memoriam aptissimum istud est, nempe exercitatio; præsertim ab adolescentiâ; sivè quià sæpiùs excitatæ altiùs imprimuntur species: sivè quià habitum induit hæc facultas promptè & facilè vocabula revocandi pluries simul ordinata; in quo potissimùm sita Memoria est; qui enim Memoriâ carent, & si rerum ideas habeant, verbaque sciant quibus exprimuntur, hæc tamen nec inveniunt cùm opus est, nec facilitatem habent ea ad primum voluntatis suæ imperium & nutum palàm adducendi. Sic assuesce igitur, Concionator Candidate, ex quo primùm concionari cæperis, ut nihil quod non scripseris primum pronuncies, & de verbo ad verbum accuratè addiscas quidquid pronunciandum susceperis; sivè ut nihil palam proferas nisi rectum, sivè ut memoriam foveas & augeas. Secundum medium.

HANC non parùm prætereà juvabit 1°. Concionis Analysis seu compendium, aut anatomia, 2°. Propositionum & partium connexio, 3°. Phrasum harmonia; paginarum autem & Paragraphorum breviorum multiplicitas Memoriam gravant: 4°. Juvatur verò per characteris diversitatem, 5°. Marginum inæqualitatem, 6°. Per commodam Concionis distributionem: 7°. Si per partes addiscas eam, 8°. Si denique priùs mente concipias quàm Memoriæ mandes. Sed hæc sufficiant de prærequisitis ad fructuosam Pronunciationem: nunc de ipsâmet Pronunciatione dicendum: sequatur ergo Alia media.

SECTIO SECUNDA.

DE PRONUNCIATIONE GENERICÆ QUÆSTIONES ET MONITA.

CUM suprà Pronunciationem dixerimus, esse „ *Vocis gestuumque pro rerum & affectuum varietate conformationem*; non incongruum erit priùsquàm de voce & gestu loquamur, nonnulla dicere de ipsâmet utriusque actione. Quærimus igitur 1°. an necessaria sit, & Concionatorem deceat actio, seu vocis & gestuum diversitas ad fructiferam Concionis Pronunciationem: 2°. Quænam sint Pronunciationis congruentis Qualitates. Sit igitur

QUÆSTIO PRIMA.

AN necessaria sit & congrua actio ad frugiferam Concionis Pronunciationem, & an Concionatorem deceat?

QUID est Verbum Dei *Scriptum*? Nisi verbum mortuum, aut inanimatum? *Pronunciatum* verò, vivum & animatum est; quidquid est enim in actu concionante Auditores percellit, vox, gestus, actio, oculi, vultus & ipsummet silentium. Sacræ veritates plerùmque non movent legentem: ipsæ verò ex Concionatoris ore, tanquam fulgura & tonitrua ex accensâ nube, terrent & feriunt audientem. In Libris quantumvis acuta tela sint, cordis medullas non penetrant: ex concionantis verò ore tanquam gladii utrâque parte acuti egressæ pertingunt usque ad interitum peccati. Quid igitur actione utilius? Quid imò ad percellendos Auditorum animos, voluntatemque movendam magis necessarium, quàm vocis gestûsque pro rerum & affectuum varietate congrua conformatio? Concionem vivificat, rationibus vim addit, affectus excitat: ipsâ deficiente infirmantur probationes etiam validissimæ: languescunt denique sivè exprimendæ, sivè movendæ passiones, nisi fuerint voce gestuque accensæ. Dum, mediante vocis suavitate,

aures pulsantur, per gestus verò venustos oculi quasi blanditiis deliniuntur, evincitur plerùmque voluntas & movetur ad virtutem colendam, non attendens ad rationes intellectui propositas. Ad hæc attendant qui „ dicunt „ *Ad virtutes Christianas ac pietatem, præparandos non esse Christianos per Pronunciationis jucunditatem: Nè*, inquiunt, *à rebus externis & sensibilibus pendere videatur Religio, quæ est quid spirituale; ideòque Concionatorem Evangelii nequaquam decere vocis gestuumque pro rerum affectuumque varietate conformationem, hancque solis mimis relinquendam Populorum plausus & pecuniam in theatro, per amœnam comœdiarum Pronunciationem, quærentibus.* " Fateor quidem tanquam Sacri Ministerii sui profanatores habendos esse Concionatores qui eadem quærunt: cùm autem non alium ob finem congruæ Pronunciationi studeant, nisi ut alliciantur Auditores ad audienda salutaria Monita de quibus aliàs non curarent, Audientesque excitentur ad abjicienda opera tenebrarum, & induenda arma lucis: Quis hanc damnare audebit innoxiam imò & necessariam artem? Quis nisi temerarius negabit ipsosmet Apostolos absque ullâ vocis gestuumque conformatione Conciones suas pronunciasse? Quare à Christo Filii tonitrui nuncupati sunt Jacobus & Joannes, nisi quia Evangelium annunciabant, contrà Idololatriam vitiaque insurgebant non frigidè, sed cum debito zelo, vehementiâque ac fervore? Quis dicet D. Paulum cùm ad majores natu Ecclesiæ Ephesi exhortationem illam haberet, quâ peractâ *magnus factus est omnium fletus*; ipsos allocutum fuisse absque ullâ vocis gestuumque pro varietate rerum & affectuum conformatione? Quis igitur Sacræ Eloquentiæ negabit medium, quo utitur profana? Numquid ad ipsum jus non habet charitas, quià idem usurpat & cupiditas? Nonne sensus externi primi sunt Concionis judices? Quare ergo non essent per sensibilia alliciendi, nempè per vultûs, vocis gestuumque congruam compositionem? Nonne per optimam Pronunciationem emendantur compositionis defectus, tædiumque ab Audientium animo amovetur, ut libentiùs audiant & efficaciùs moveantur? Quis ergo hanc negligendam,

quis à sacro pulpito eliminandam dicere audebit? Sed quid hìc immoror, ultrà quærentem te jam non audio, necessaria ne sit, & an Concionatorem doceat, sed:

QUÆSTIO II.

QUÆNAM sint Actionis Qualitates?

VIOLENTA & iracundâ Pronunciatione nihil magis contrarium est Christiani Oratoris fini; quià per ipsam fatigatur & obruitur sivè Auditor, sivè ipsemet Concionator: quomodo ergo suadebit? Non vi, vehementiâ, & commotione Auditorum intellectum ingreditur veritas. 1°. Ex ore ergo tuo egrediatur Concio non quasi torrens devastans, sed quasi imber leniter influens: nec vehementem ac vividam reputes, quæ violentiam & iracundiam redolet: vivida semper & ignea debet esse Pronunciatio tua, ut attendat Auditor: sed tranquillè vivida & ignea, quâ nihil præclarius quidem, sed & nihil difficilius est. 2°. Quò plura tamen reperiuntur, in Concione tuâ, vividâ & vehementi expressione descripta, eò minùs vivida & vehemens Pronunciatio esse debet; sivè quia per vividam Pronunciationem impeditur Auditor nè audita quantùm opus est perpendat: sivè quia ex vividâ & igneâ compositione & Pronunciatione simul occurentibus incendium quoddam resultat Audientibus intolerabile. 3°. Non eadem semper sit Pronunciatio: sed variis vehementiæ & tranquillitatis gradibus constet; tædium enim impedit, & attentionem auget hujusmodi varietas, dummodò ex ipsomet Concionatoris corde oriatur; ut enim magis minùsve movebitur cor tuum, plùs minùsve vehemens aut tranquilla erit Pronunciatio tua: sibi invicem succedentes in corde tuo affectûs pro varietate impressionum naturaliter à veritate de quâ concionaris factarum, in oculis tuis, in vultu & in toto te ipso, seipsos, ut ita dicam, pingent, suggerentque tibi ferè non cogitanti, varietatem illam Pronunciationis quæ Oratorem decet Evangelicum. 4°. Assuefac igitur cor tuum ad sentiendum quidquid ex ore tuo procedit, ut ignis intùs in Meditatione accensus, ex ore erumpat in Pronuncia-

tione; si enim affectu careat, si frigidum sit cor tuum, & ab externo tantùm incalescat Pronunciatio in ore tuo, quid ex artificiali illo fervoris & zeli igne concludere Auditor poterit, nisi: te optimum quidem declamatorem, personamque scienter & præclarè gerere, non verò verum Concionatorem esse. Naturalis igitur esse debet Pronunciationis vehementia, non verò artificialis aut coacta. Sed tempus est ut de Pronunciatione specialiùs, nempe de voce & gestu dicamus. Sit igitur

SECTIO TERTIA.

DE PRONUNCIATIONE SPECIALIUS CONSIDERATA, SEU DE EJUS PARTIBUS.

EX Pronunciationis Definitione istius initio Libri exhibitâ, infertur duas hujus esse partes integrantes, vocem scilicèt & gestum. De utrâque igitur in sequentibus Capitibus hîc nobis dicendum. Hìnc sit

CAPUT PRIMUM.

DE SPECTANTIBUS AD VOCEM.

IN hoc Capite dicemus 1°. de quibusdam defectibus in voce vitandis. 2°. De ejus qualitatibus in ordine ad Concionem ut sic spectatam: quæ nobis sunt in duplici Articulo præstanda. Sit igitur

ARTICULUS PRIMUS.

DE QUIBUSDAM DEFECTIBUS IN VOCE VITANDIS.

VOCEM nemo nescit medium esse ad cogitationes & cordis affectiones exprimendas: has autem ità exprimere Auditoribus debet Concionator: ut ab eis, non solùm absque difficultate, sed etiam cum delectatione audiantur; diu enim non audient, si difficilè tan-

tùm audiri possit Concionator; qui si in Pronunciatione vim patiatur, patiuntur & Auditores, quibus si incumbat necessitas ad sonum verborum continuò attendendi, ad eorum sensum minimè poterunt, ut par est attendere. Concionatoris est igitur ea vitare quibus vox injucunda, & auditioni ac attentioni noxia evadit: jucunditati autem contraria sunt nimius Plangor, Affectatio, Languor, Asperitas, Tarditas, Contentio, Clamor, Declamatio, Inflexibilitas, & Recitatio inter pronunciandum. Auditioni verò & attentioni noxia sunt Confusio, Inarticulatio, Velocitas seù Præcipitatio, Lapsus finalis, Platiasmos & Cœlostomia de quibus hic pauca dicam, ut defectus istos omnes fructuosæ Pronunciationi plùs minùsve noxios, & clariùs cognoscas, & cognitos accuratiùs vites.

QUÆSTIO PRIMA.

QUINAM sint defectus vocis jucunditati oppositi?

MONOTOMIAM vocant Græci uniformitatem soni vocis, & hæc quàm sit injucunda, ideòque Concionis fini, (scilicèt suasioni) contraria intelliget quisquis attendet id nobis à naturâ inditum esse, ut vocis nostræ sonum pro rerum de quibus loquimur varietate, mutemus; aliter enim loquitur qui jucunda & læta narrat, & aliter qui tristia & luctuosa: aliter qui delinquentes increpat, & aliter qui afflictos consolatur: aliter qui ingratis collata beneficia exprobrat, & aliter qui de benefacto gratias agit: aliter qui veniam petit, & aliter qui pollicetur quid, aut minatur: aliter qui tranquillè, & aliter qui irâ commotus loquitur. Quod autem in hoc præstat natura, hoc præstare debet ars Pronunciationis, quæ quò plùs à naturâ recedit, eò imperfectior est: quò propiùs verò ad ipsam accedit, eò perfectior habetur: eodem igitur modo se habet Monotomia respectu vocis, quo defectus varietatis respectu Styli: fastidium scilicèt parit, & somnolentos efficit Auditores: Quomodo ergo suadebit & movebit? Quid injucundius quàm Concionatorem audire in pulpito non loquentem: sed quasi legentem, cujus idem est vocis sonus, altus

plerùmque à primo verbo ad ultimum usque, quasi ad Angelos sermonem dirigeret, aut ad homines extrà Ecclesiam sedentes, aut in Ecclesiæ fornicibus suspensos, nullatenùs verò ad Auditores in Ecclesiâ ad audiendum congregatos?

SUNT & alii qui voce lacrymabili & luctuosâ ubique utendum in Concione existimantes, vocem primùm elevant, & sensim deprimunt ut miserationem excitent, aut devotionem inspirent quam affectant. Quò fit ut demissa sæpè vox ab eis adhibeatur, ubi opus esset elatâ: & Textus Scripturæ aut Patrum, Epiphonematum & Exclamationum accentu pronuncientur. Alii quasi canentes aut tyronum more recitantes & declamantes, duplici tantùm vobis tono utuntur ad quos alternatim redeunt, & hoc inflexionem vocis dicunt, sed perperàm. Alii languidâ, alii lentâ & torpenti, alii rigidâ & acerbâ & quasi senio confectâ voce utuntur: sed quàm injucundæ sint & fastidiosæ nemo est qui diffiteatur: utinam & nemo esset qui has in se emendare per exercitationem non conaretur! Non rarò enim ob hujusmodi vocis defectus (de quibus vix argui volunt, aut quos emendare ipsimet nolunt,) plures ab eorum audiendis Concionibus, aliàs fructiferis, abstinent. Utinam intelligere vellent & alii quàm injucunda pariter sit contentio vocis! Utinam attenderent in pulpito non clamandum & vociferandum esse, sed loquendum! Cùm enim violentum non sit durabile, plerùmque ità deficit hujusmodi vocis contentio, ut vix audiatur Concionator. Tu verò non solùm ab iis omnibus jucunditati oppositis defectibus; sed etiam à seqnentibus cave.

QUÆSTIO II.

QUINAM sint defectus vocis auditioni & attentioni noxii?

AUDITIONI & attentioni noxiam vocem dico, quæ cùm non possit sufficienter ab omnibus astantibus audiri, impedit nè ad dicta attendant. Vocem enim tuam sic Auditorio debes accommodare, ut conversationis sonum adhibens à remotioribus audiaris. Quomodò autem audieris debitâ cum attentione; si con-

fusâ aut non sufficienter articulatâ, aut velociori voce usus fueris; aut si sic locutus fueris ut ultimæ syllabæ absorbeantur, à quibus tamen pendet sensus? Non sine causâ igitur à *Platiasmos* & *Cœtostomiâ* cavendum monent Rhetores; *Platiasmos* enim dicitur, cùm nimiùm aperto ore quis loquitur, sonumque edit ingentem quidem, sed confusum & inarticulatum proùt à nonnullis fieri solet etiam ex industriâ, quasi verò ex vehementi sono verbis vis addatur & majestas. *Cœlostomia* verò fit cùm è contrà, non sufficienter aperto ore, quis loquitur: undè ex ejus ore, velut ex scrobe, inclusa egrediuntur verba truncata. Nec minori jure vocem velociorem reprobant; sivè quia Discipulum redolet aut declamatorem cujus memoriam probat, sivè quià Auditoribus tempus non relinquit ad rationes attendendi, & ad Concionis venustatem. Sed parùm est cavere à defectibus vocis, nisi simul tibi innotesceret quænam igitur requirantur in eâ qualitates ad jucundam simul & fructuosam Pronunciationem. Sit igitur

---

ARTICULUS SECUNDUS.

DE QUALITATIBUS VOCIS AD OPTIMAM PRONUNCIATIONEM REQUISITIS.

TRES potissimùm voci inesse qualitates debent, scilicèt *Magnitudo*, ut in toto Auditorio audiatur, *Firmitudo*, ut non deficiat, sed potiùs augeatur, & *Mollitudo*, ut pro rerum varietate varientur soni. Adverte tamen magnitudinem soni non sufficere nisi adjunctam habeat claram & intelligibilem articulationem, ità ut syllabæ omnes debitè pronuncientur, præsertim finales. Cùm autem data homini sit vox ut cogitationum ejus sit interpres, ac passionum ejus quoddam speculum; Concionatoris est per varios vocis sonos varios cordis sui affectus exhibere, ut in Auditorum cordibus similes excitet. Quod quidem ut debitè præstes, attende ad quinque varietates hîc totidem Quæstionibus explicatas.

QUÆSTIO

QUÆSTIO PRIMA.

QUÆNAM sint observanda in vocis Inflexionibus juxtà Argumentorum varietatem?

VOCIS prima varietas ab argumenti, seu à rerum de quibus loquitur Concionator, varietate desumitur: 1°. Si nempe de naturæ miraculis, vel de omnipotentiæ Divinæ operibus loquaris, *gravi uti voce debes* & *admirationis tono.* 2°. Si de humanis actionibus, bonas & justas laudabis *voce plenâ* & *altâ*, *approbationis* & *æstimationis tono*: pravas verò & injustas damnabis *vividâ* & *commotâ voce* & *indignationis tono* & *horroris.* 3°. Si de hujus vitæ eventibus prosperis, *voce clarâ* & *lætâ*: *tristi* verò & *luctuosâ* si de adversis. 4°. Si de sublimibus, *voce gravi* & *magnificâ*: *suavi* verò & *tenerâ* si de Dei beneficiis: si de ejus justitiâ & vindictæ severitate, *voce forti* & *tonanti*: 5°. Si de peccati enormitate, *voce vehementi*: *luctuosâ* verò si de peccatoris miseriis. Cùm autem in eodem argumento reperiantur non nullæ differentiæ, ad has attendere debes, & pro finlarum varietate & magnitudine variare; varia enim est rerum naturalium magnitudo &. pulchritudo: humanarum actionum, vitæque hujus eventuum inæquale est momentum. Multò plura mirabilia in Cœlis sunt quàm in terrâ. Alia sunt simplicis ducis generosè gesta, alia verò heroïca Principis facinora. Attrocius crimen est parricidum, quàm homicidum simplex: magisque luctuosa Provinciæ, quàm familiæ ruina. His itaque vocem sic accommodabis, ut plùs minùsve luctuosa & tristis sit, aut læta, aut tonans & fortis, aut vivida, aut commota, aut clara, aut gravis.

QUÆSTIO II.

QUÆNAM sint observanda in vocis inflexionibus juxta varietatem Passionum?

PASSIONIS cujusque, quam exprimere volueris, naturæ debes quidem vocis sonum & accentum accommodare; ut autem magis Auditores moveas, quam

in aliis passionem cupis excitare, hanc in te ipso primùm excites necesse est; si enim intimè sentias Dei Majestatem Mandatorumque ejus æquitatem : si ergà virtutem vero amore, & erga vitium vero afficiaris odio: si ergà pauperes quos divitum exhibes charitati, verâ commiseratione : si & ardenti flagres Auditorum salutis desiderio : in tuâ procùl dubio pronunciatione manifestabuntur cordis tui affectus, similesque in Auditorum cordibus excitabuntur. Si in temetipso itaque passiones excitaveris in aliorum corde excitandas; has facillimè, vividè & efficaciter sic exprimes, ut juxtà cordis affectus vocem inflectas. *Suavi jucundâque voce tuâ* manifestabitur amor tuus : odium verò *asperâ* & *severâ* : gaudium tuum ex *voce plenâ liberèque fluenti*, tristitia verò ex *languenti pavidâ*, *suspiriisque* ac *gemitibus interruptâ* : timor, ex *tremulâ* & *hærenti voce*, & non numquam ex *clamore stuporem indicante*: fiducia verò, ex *altâ* & *validâ*. Iram tuam comitabitur *vox acuta*, *vehemens*, *violenta* & *frequenter halitum hauriens* : Commiserationem, *vox suavis*, *luctuosa*, & *intimi amoris sensu plena* :. Æstimationem testificaberis *voce elatâ* & *magnificâ* : *fastidiosâ* verò & *tranquillâ* contemptum : Dolorem autem de acceptâ injuriâ *voce elatâ*, *vehementi* & *ardenti*. Sicque congruentem vocem tibi suggeret passio in te excitata.

QUÆSTIO III.

QUÆNAM sint observanda in vocis inflexionibus juxtà Figurarum varietatem?

CUM Figuræ quidam sint loquendi modi vulgò non adhibiti, vario utique debent modo pronunciari ut ipsis semper insit quid sublimè, vehemens & jucundum. 1°. In Antithesi igitur duos servabis vocis sonos quorum alter altero sit elatior. V. G. In istâ Antithesi S. Pauli : *Maledicimur & benedicimus* : *persecutionem patimur & sustinemus*, *&c.* Elevanda vox est dùm dicitur : *Maledicimur* . . . . . *persecutionem patimur* ; remittenda verò dum dicitur : *Et benedicimus* . . . . *& sustinemus* &c. 2° In Apostrophe verò altiori & vehementiori voce utendum : non tamen toto ore clamandum, etiamsi ad

Cœlos converteres Apostrophem; non enim attendere debes ad distantiam rerum. 3°. In Interrogatione utendum est voce modò suavi, modò acri, modò validâ & elatâ, pro personarum, quas interrogas, diversitate: ubi verò interrogationi responsum subjungitur, in quâlibet interrogatione, & in quolibet responso proprio vocis sono utendum: elatiori scilicèt in interrogationibus, quàm in responsis: 4°. In Communicatione vocis sonus adhibendus est varius pro passionum & affectionum varietate quæ in illâ exprimuntur. 5°. In Prosopopeïâ, ut intelligant Auditores non te loqui, sed eum quem loquentem inducis, variare vocis sonum debes pro varietate sivè personarum quas loquentes inducis, sivè passionum quibus moventur. 6°. In Instantiâ per quam scilicèt adversarios de eâdem re diversimodè expressâ urges, vividâ, urgenti, elatâque voce utendum: Idem propè modum est in congerie. 7°. In Exhortatione vox requiritur fortis, vehemens & vivida. 8°. In Obsecratione vivida quidem vox, sed affectu plena & ad commovendum apta. 9°. In Suspensione autem vox firma ut excitetur attentio. 10°. Optationi congruit vox fortis & alta. 11°. Imprecationi vehemens & vivida, irâ & indignatione plena: 12°. Admirationi autem & Epiphonemati fortis, elata stuporeque plena. 13°. Exclamationi alta, firma & vehemens. 14°. In Gradatione gradatim vox sic crescere debet, ut in Pronunciatione hæreas præcipuo cujuscumque membri verbo: 15°. In Repetitione autem, vividiori voce, repetita verba pronuncianda sunt quàm cætera. 16°. Reticentia & interruptio pronunciantur juxta verba, quibus exprimuntur, aut juxtà passiones concomitantes. 17°. In Ironiâ tandem vox firma requitur contemptûs & derisionis plena.

QUÆSTIO IV.

QUÆNAM sint observanda in vocis inflexionibus juxta Verborum & Periodorum diversitatem?

1°. VERBA sublime quid, validum ac efficax significantia, magnificâ & splendidâ voce pronuncianda sunt, qualia sunt ista: *Admirabile*, *Augustum*, *Heroï-*

cum *Triumphans*, *Inestimabile*, *Ineffabile*, *Incredibile*, *Incomparabile*, *&c.* 2°. Affirmativa verò, voce firmâ, qualia sunt V. G. *Certè*, *procertò*, *absolutè*, *necessariò*, *expressè*, *&c.* 3°. Quæ vituperium aut horrorem significant, voce altâ & commotâ pronunciantur: V. G. *Atrox*, *enorme*, *monstruosum*, *detestabile*, *&c.* Quæ autem aut infortunium significant aut quærimoniam accentu tristi indigent, V. G. *Infelix*, *funestum*, *lugubre*, *lugendum*, *lacrymabile*, *&c.* 4°. Graviter pronuncianda sunt verba quæ sivè quantitatem significant, V. G. *Magnum*, *altum*, *sublime*, *profundum*, *innumerabile*, *æternum*, *&c.* Sivè universalitatem V. G. *Omnes homines*, *ubique*, *semper*, *numquàm*. 5°. Quæ verò vile quid aut infirmum, voce demissâ & interdùm fastidiosâ pronuncianda sunt: V. G. *Parvum*, *abjectum*, *vile*, *infirmum*, *languens*, *&c.* 6°. In pronunciandis ultimis cujuscumque periodi verbis voce utendum est sibi constante: seu non deficiente: maximè si constent syllabis quarum sonus debilis est & obscurus: quales sunt syllabæ in quibus reperiuntur E, I, vel U, in Gallico nostro idiomate; nisi enim validâ eas voce pronunciaveris, in ore tuo deficient, nec ad remotiorum aures Auditorum pervenient. 7°. Quæ prolixiores sunt periodi, pronunciandæ sunt halitu hausto in cujusque membri fine, nè statim deficiat tibi vox. 8°. Ubi autem pronuncianda erit periodus in quâ vocis magnâ opus sit contentione, in præcedenti periodo voci parcendum est, ut vividior altiorque posteà esse pronunciatio possit.

QUÆSTIO V.

QUÆNAM sint observanda in vocis inflexionibus juxtà varias Concionis partes?

1°. IN Exordio, voce utendum est mediocri, gravi, & modestâ; Auditores enim obstupefaceres si statim clamares: Si verò voce demissâ utereris non te audirent; vocis autem gravitas & modestia attentionem tibi eorum conciliabunt. Secùs est de Exordiis ex abrupto, in quibus utendum est voce congruâ passioni cujus motu loquitur Concionator. 2°. In Divisionibus & Subdivisionibus requiritur clara ac distincta vox, ut nihil non

percipiat Auditor ex iis, quæ Concionis ſunt fundamentum. Idem de principiis dico, ex quibus deducuntur conſequentiæ, & quibus ablatis, Concio quaſi ædificium eſſet ſine fundamentis. 3°. In Probationibus requiritur vox fortis & virilis, ac gravitatis plena, quæ majus affert rationibus pondus: hanc tamen variare oportet pro Figurarum in Probationibus permixtarum varietate, ut ſuprà dictum eſt. 4°. Ubi autem narratione aliquâ opus fuerit, (prout in exornativis Concionibus contingit,) eâ utendum voce erit quæ naturæ geſtorum, eventuumque narrandorum congrua ſit, vitatâ vocis contentione. 5°. In Peroratione tandem vox adhibenda eſt vehemens, vivida, & ad movendum juxtà paſſionem in Auditore excitandam, aptiſſima.

CAPUT SECUNDUM.

DE SPECTANTIBUS AD GESTUM.

GESTUS à Rhetoribus deſcribitur: „ *Oris, & „ totius corporis ad Orationem conformatio.* " Quæ de illo autem dicenda habeo duobus abſolvam Articulis: in quorum priori de Geſtu in genere: in poſteriori verò de Geſtûs partibus, ſeù de Geſtu reſpectivè ad vultum, oculos, manus, & reliquum corporis. Hinc ſit

---

ARTICULUS PRIMUS.

DE GESTU IN GENERE.

AD tria potiſſimùm circà Geſtum genericè ſumptum attendere debes: 1°. Quænam ſit ſcilicèt ejus neceſſitas & utilitas, 2°. quænam ejus eſſe debeant qualitates, 3°. & qui in illo vitandi ſint defectus.

QUÆSTIO PRIMA.

QUÆNAM sit Gestûs necessitas & utilitas?

UT ab ejus incipiam necessitate, & utilitate, Gestum dico idem verbis præstare, quod verba cogitatis: iis scilicèt corpus quoddam suppeditat, ut etiam à surdis intelligantur: Non solùm autem pronunciationis est pars præcipua; sed & tanti momenti est, & ab Auditoribus ità magnum quid habetur: ut quicumque Gestu & Actione in pronunciandis Concionibus carent, vel qui non nisi ineptum Gestum habent, perfectos inter Concionatores jam non adnumerentur; plures enim ex iis qui præclarum Gestum, communem verò Concionem habent efficaciùs suadent, quàm illi qui è contrà Concionem præclaram habent, Gestum verò aut nullum, aut non nisi injucundum. Infantes, mediante actionis & Gestûs gravitate, virorum gravitatem retulisse historia docet, disertos verò è contrà, propter solam Gestûs & Actionis difformitatem, quasi infantes habitos fuisse. Sicut autem totum corpus nostrum, vultus omnis omnesque voces, ut nervi in fidibus, sonant prout à motu animi pulsæ quæque sunt: sic & magis utique per Gestum movetur Populus velut per totius corporis organum, quàm per solam vocem quæ solius intellectûs organum est. Externa enim corporis Concionatoris compositio, (sub quâ Gestus omnes comprehenduntur,) vivida quædam expressio est, quæ ad oculos loquitur: cui & venustates insunt, & defectus. Quantumvis vividæ sint cogitationes, & expressiones, per Gestum fiunt multò vividiores. Ministerio Sacro prodesse Majestati juncta gravitas potest quidem, dummodò junctas habeat & alias dotes, ingenium dico, scientiam, elocutionem pietatisque nomen ac rem: si tibi tamen hæc non insit, eam affectando, admirationem excitabis maximam, unctionem verò fortè nullam ingeres. Ea Auditoribus optima exterior compositio est, quæ Evangelici Ministri ideam imprimit efficaciùs: quæ si fuerit mediocris, humilitatem, simplicitatem auctoritatemque congruentiùs exhibet, & compunctionem. In nonnullis enim, etiam neglecti vultûs, Eloquentia quæ-

dam Gestûs reperitur quâ moventur omnes: cujus dari tamen nulla ratio potest, nisi quòd effulgente zelo, quo æstuant, quidquid aliàs in ipsis displiceret, evanescit, ita ut solâ, quam annuntiant, induti veritate videantur.

QUÆSTIO II.

QUÆNAM Gestûs ut sic debeant esse qualitates?

GESTUM ordinare eò est difficiliùs, quòd de eo judicare ipsemet Concionator non potest; sivè quia se imperfectè tantùm videt: sivè quià sui ipsi adulantur amici non veri, aut arguere eum non audent. Gestûs autem qualitates plures sunt: quarum 1ª. est ut verba comitetur; si enim illa aut præveniat, aut solùm sequatur, tantò plùs nocet intellectioni, quantò, dum comitatur, hanc adjuvat. 2ª. est ut non verba exprimat, sed rem per verba significatam, quam non numquam per sola verba vix potest Concionator exprimere. 3ª. Quod sic naturalis sit, ut arte non utatur, nisi ut, quod naturæ conforme non est, emendetur. 4ª. est ut sit moderatus gravitatisque plenus; etsi enim actor esse debeat Concionator, non eodem tamen modo quo comædus aut declamator; qui enim istis congruunt Gestus, sæpè Concionatorem dedecent: istum enim decet Gestus quidam nobilis & majestate venerandus, tanquam pro Deo legatione fungentem. Ipsum decet Gestus vividus, quo scilicèt ipsum intimè commotum esse ex dicendorum magnitudine Auditoribus innotescat. Non desunt, qui sese ad Gestum exercituri, speculum adhibent, quod etsi utile, sufficiens tamen non est; optimus quidem pictor est speculum, sed pictor mutus. Quem tibi tui ipsius Gestum exhibet vel situm, te decere putas, & nimio tui amore plerùmque erras. Quanta autem in te speculum, nisi esset mutum, argueret? Speculum vis non mutum & optimum? Peritum simul & sincerum, inter mille, amicum elige, qui te pronunciantem videat & audiat, imò qui & te exploret, & aliorum te explorantium sensum circa Gestum, & pronunciationem tuam tibi referat. Interim speculum quoddam tibi non inutile verè volenti, sequentem accipe vi-

tiorum enumerationem in Geſtu contingentium, ad ea vitanda: Regularum verò ſivè huc uſque traditarum, ſivè & tradendarum ſpeculum pariter frequenter coram oculis tuis collocatum attentiùs inſpice, & interroga.

QUÆSTIO III.

QUINAM in Geſtu ut ſic ſpectato vitandi ſint defectus?

PLURIMOS inter Geſtûs defectus, non ultimum procul dubio locum tenent Affectatio, Violentia, Tarditas, Nimietas & Incongruentia. Ad Affectationem autem ſpectant, ſivè Geſtus illi, qui nimio pondere, numero & menſurâ conſtantes, & veluti circino deſcripti ſunt, qui Auditoribus non raro anſam præbent intùs dicendi, majus eſſe Concionatoris ſtudium oculos oblectandi, quàm corda movendi: ſivè illi, quibus quaſi pingere conatur Concionator quidquid dicit. Liceat hoc comædis & mimis; at pro Chriſto legatione fungentem te nequaquàm decet. Memento, quæſo, te Oratoris Sacri eloquentis, & pronunciantis, non verò actoris prophani imitantis, alteriusque vices gerentis perſonam agere, & vide nè prophani actoris optimis, venuſtis, jucundisque ſtudens Geſtibus, viri probi nomen apud Auditores tuos amittas, & Oratoris Sacri gravitatem. Violentia autem, & ſæpiùs iterata Geſticulatio declamatorem, comædum & mimum indicat, qualem te procùl dubio nec re, nec nomine decet eſſe. Nec te nimis lætus decet vultus, aut mæſtus, nec manſuetudinis urbanitatisque Affectatio, nec audacia: ſed potiùs timiditas te non nulla decet mediocri conjuncta confidentiæ in pronunciationis decurſu ſenſim augeſcenti. Sed plures vide in ſequenti Articulo vitandos defectus.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE GESTUS PARTIBUS.

GESTUS partes dico, corporis totius ſitum & motum, partiumque illius Geſtui inſervientium, Capitis ſcilicèt, oculorum ac manuum. Cùm autem

tunc

tunc optimus ſit Geſtus cùm Concioni congruit, ineptus verò cùm non congruit : ideò quid ſingulis hiſce corporis partibus, corporique congruens aut incongruens ſit ſpecialiùs hîc enucleabo, circa ſingŭla tibi Monita Regulasque traditurus in totidem Quæſtionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

Ad quænam advertendum ſit circà corporis motum & ſitum ?

NEC immobile eſſe, nec ſemper moveri corpus debet ; ex ejus enim immobilitate frigida fit & faſtidioſa actio, ſtatuæque potiùs congruit, qualem eſſe Concionator non debet in pulpito, hujusmodi immobilitas : nimia verò corporis agitatio, ſaltantem decet, non Concionatorem. Medium igitur ſic inter utrumque ſervabis, ut nec 1°. pedibus percutias, nonnullorum more, qui optimè pronunciare ſe non poſſe arbitrantur, niſi peccatores plùs pedum manuumve ſtrepitu, quàm vocis tonitruo terrere conarentur : Nec 2°. humeros frequentiùs, quaſi per Gemitûs & compaſſionis ſignum triviale, attollas & deprimas : Nec 3°. ſemper ſtes, aut ſemper ſedeas : Nec 4°. corpus inclines Auditores familiariter allocuturus : ſed modeſtè erigas, non verò quaſi furibundus aut in aëra perrecturus, aut pulpiti fulcra extrà inſpecturus, aut pulpitum ipſum quaſi rhedam tecum tracturus : Nec 5°. ambules quaſi in horto : Nec 6°. cùm impetu inſilias, in fune quaſi deambulaturus : ſed interdùm ſedere, ſcilicet 1°. Dùm principia ſtatuis, explicas & probas : 2°. In cujusque ſubdiviſionis principio. 3°. Identidem ubi occurrunt aut principia, aut breves hiſtoriæ narrationisve partes : interdùm verò debes ſurgere, cùm nempè urgere, increpare, hortari, obſecrare, volueris, aut ad aliquid agendum fugiendumve movere Auditores.

QUÆSTIO II.

Ad quænam advertendum ſit circà capitis Geſtum ?

1°. NON ſit nimis erectum caput, nè arrogantiam redoleat : 2°. Non nimis demiſſum, aut negligenter inclinatum, nè indolentiam. 3°. Non decet

ejus jactatio, quæ mulierculis propria est in jurgio sibi invicem minitantibus. 4°. Nec ejus in alterutrum humerum, more condolentiùm, inflexio. Caput autem circà Auditorii medium stet ordinariè moderatè erectum, ubi scilicèt à majori possis parte audiri: hoc tamen nunc ad dextram, nunc ad sinistram vertes cætum intuiturus, prout hîc aut illic manum vel manus movebis; verti enim semper versùs eam Auditorii partem caput debet, juxtà quam fit manùs aut manuum Gestus: nisi fortè aut negatio aliqua exprimenda sit, aut aliquis horror, vel dedignatio, vel odium; tunc enim & manu repellere, & caput tantisper debes avertere; motus siquidem quosdam habet caput proprios, quibus nunc admiratur, nunc despicit: nunc denegat, nunc concedit: nunc indignatur, nunc compatitur: abnuens scilicèt aut renuens denegat, annuens concedit aut confirmat, inclinatum in latus plangorem, aversionem & indignationem significat.

QUÆSTIO III.

AD quænam advertendum sit circà oris & vultûs Gestum?

OS autem, seu vultus, cùm ea sit corporis pars quæ præ cæteris, Auditorum maximè objicitur aspectibus, & super quâ oculos ferè semper habent intentos, ideò hujus debent sic ordinari motus, & pro passionum rerumque varietate sic immutari; ut audientium pariter vultus immutetur. Vultum itaque indues cùm de jucundis, lætis, charis prosperisve, hilarem lætum & jucundum: cùm de luctuosis, injucundis, adversis, tristibus, tristem, & quasi nebulis tectum: gravitate plenum cùm de seriis: mansuetudine cùm Auditores consolaris: severitate cùm eos increpas & arguis: hilaritate, cùm lætitiæ aut amoris, aut spei affectibus movere eos cupis: tristitia, cùm eos lugere, dolere, & corde compungi desideras. Nec hoc adeò putes difficile tibi futurum, tantùm modò satage 1°. Ut intimè sentias, & percipias quidquid pronuntias: 2°. Ut in te eam priùs excites passionem, quâ moveri Auditores optas: 3°. Ut magno desiderio flagres easdem

passiones in eorum cordibus excitandi. Tunc procul dubio, naturali quodam instinctu, indues vultum modò lætum, modo mæstum, nùnc blandum, nùnc minacem. Cùmque vultus simul lingua sit quædam, etsi sit unica in Concionatoris ore, à diversæ tamen Gentis & linguæ Auditoribus auditur; ex illis enim Concionatorem singuli audiunt linguam suam, in quâ nati sunt, loquentem etiam ii qui auditu privati sunt; quia Liber quidam est qui ab omnibus etiam ab iis, qui litteras numquam didicére, legitur: in ipso enim legit & agnoscit quisque devotionem concionantis, aut ejus cordis siccitatem; attentionem, aut distractionem, evagationemque animi, gaudium, aut tristitiam: iram aut commiserationem: breviùs dicam, omnes, quibus cor ejus movetur, passiones agnoscit. Utinam Concionatorem quemcumque intuentes Auditores, viderent faciem ejus tanquam faciem Angeli, seu Ministri Sacri, pleni gratiâ & fortitudine, facientisque prodigia & signa magna in populo, pleni Spiritu Sancto & sapientiâ! Dissecarentur profectò cordibus suis, dentibusque in seipsos striderent, & mox in suas passiones, in vitia sua impetum facerent, vitam emendantes.

QUÆSTIO IV.

AD quænam advertendum sit circa oculorum Gestum?

NON sine causâ speculum animæ oculi vulgò nuncupantur; etenim experientia probat quotidiana ex solo oculorum alicujus intuitu agnosci cordis ejus, vel tranquillitatem, vel perturbationem; vel iram, vel mansuetudinem. Horum itaque optimus est in Concionatore Gestus, de quo tamen alii non curant; alii præ timiditate, aut memoriæ defectu hunc non adhibent: quò fit, ut, vel vagus & errans sit eorum intuitus in Auditorio, quasi de nihilo cogitantium, aut de iis, quæ prædicant, parum curantium: vel fixos & immobiles oculos tenent, aut muro Ecclesiæ, aut alicui columnæ, aut fornicibus hærentes, tanquàm ex solâ memoriâ recitantium. Vel clausos, vel modo inanimato apertos habent, ità ut videntes videant, & non videant. Tu autem ab his omnibus vitiis cave: sic oculis

utere, ut totum Gestum comitentur, & quidquid lingua tua exprimit, exprimant & ipsi sicut & quidquid cogitas. Non minimum profectò naturæ donum sunt ad suadendum, & ad movendum simul; nec magis unquam percelluntur Auditores jam commoti intùs, quàm per concionantis intuitum securum, devotum, verba, Gestusque singulos comitantem, mentemque, ut ità dicam, astantium aspectu mirando penetrantem. Oculos igitur non secùs, ac caput ad varias Auditorii partes sic dirige: ut quicumque te vident, videant simul in oculis tuis passionem à te Gestu & verbis exprimendam. Hanc utique videbunt omnes; si in teipso noveris excitare. Tùnc oculos videbunt in te ignitos, cùm irâ sacrâ intùs ardebis: suaves & blandos cùm amoris, charitatisque divinæ lac & mel fluet cor tuum: nec lacrymas continere poteris, cùm vero dolore contereiur, & tùnc oculos in te videbunt lacrymis lacrymas vocantes silentio. Cæterùm in cœlum sublevati oculi orant, mirantur, congaudent Sanctis, compatiuntur afflictis, aut induratis corde; aversi indignantur, fastidiunt vel negant: clausi cogitant, vel meditantur: demissi modestiam & pudorem, & semiclausi adulationem & tenerum significant amorem. Utantur artificiis sibi tanquàm optima apprehensis Oratores Profani ad excitandas in se lacrymas: alius filii sui, aut amici defuncti cineres gestet: alius de recenti afflictione, aut calamitate quondam à se toleratâ recogitet dùm Orationem habet: tu verò ad veritates, & novissima, vel Mysteria, de quibus Concionem actu pronunciabis, seriò attende, & optimus in te erit, & vultûs & oculorum Gestus, spontaneæ fluent lacrymæ cùm opus fuerit. Dum de Cœlo & Cœlestibus loqueris, oculos sursùm diriges: cùm verò de Terrâ, & terrestribus, in terram declinabis.

QUÆSTIO V.

AD quænam advertendum sit circà manuum & brachiorum Gestum?

CIRCA manuum brachiorumque Gestum, primùm à defectibus septeno numero congregatis declina, & quinario distinctas serva Regulas; hoc est enim omnis

Concionator, vel saltèm Gestus pars maxima. 1°. Igitur nec manus supra caput elevari, nec infrà stomachum: brachia verò nec immoderatè projici, nec incomposita debent pendere. 2°. Numquàm manibus plaudere debes numquam & pulpitum percutere; nec enim ullo modo decet: quantò minùs percutiendo sermonem abrumpere, & clamare contrà dormientes, aut strepitum in Ecclesiâ edentes. 3°. Nec ubique manuum Gestus adhibendus est, nec omninò immobiles & otiosæ esse, nec indesinenter debent moveri. 4°. Plurimas scito esse actiones per manuum Gestum numquam exhibendas, quales sunt V. G. arcum tendere & organum Musices pulsare. 5°. Aliquem per Prosopopeïam loquentem inducens cave nè incongruum ipsi manuum Gestum tribuas; quid ineptius enim, quàm si Christum inducas crucifixum dicentem junctis manibus & in Cœlum elevatis: ,, *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt,* &c. " Vel expanso digito dicentem Joanni: *Fili, ecce Mater tua*: & Beatæ V. Mariæ: *Mulier ecce Filius tuus.* " Gestus enim illos manuum & digiti sic adhibens, res aliter ac Gestæ sunt, exhiberes. 6°. Nec numero constantes res per digitorum enumerationem exhibere decet, nec digitorum adhibere gesticulationem, nec ipsorum nimiam inter se disjunctionem: nec junctos offerre, sed bellè extensos: nec nunc frontem, nunc caput, nunc pectus, (prout non nulli solebant antiqui magnum dolorem significaturi,) manibus percutere: nec pugnum aut pugnos porrigere nec brachium protendere quasi gladio percussurum. 7°. Brachia tandem ambo raro, imò numquam quasi ad natandum extendenda sunt: sed agente unâ manu, altera debet vel super pectore, vel super pulpito quiescere.

Sed parum est de vitandis te monuisse, nisi te simul de agendis erudirem. Scito igitur 1°. Concionatorem elevatis manibus supplicare, junctis confirmare, impressis urgere, depressis mirari: Per brachium extensum, potentiam, robur, auctoritatem, sitientiumque imperatum significari: per contensum & cohibitum verò, pudorem & verecundiam; optimèque à latere sinistro incipere manum moveri, & ad dextrum cessare. 2°. Cùm

unica manus movenda est, non sinistram sed dextram esse movendam, nisi cùm de manu dextrâ amputandâ, juxtà Evangelicum consilium, vel de in dextro latere collocandis die Judicii Electis, Reprobis verò in sinistro. 3°. Scito insuper manûs motum naturæ actionis per ejus motum expressæ congruere debere, dùm V. G. pronuncias hanc vocem *attrahere*; aut huic similes, manus ad te attrahere debes: si *repellere*, projicienda est manus: si *avellere*, manus sunt sejungendæ: si *unire*, conjungendæ: si *claudere*, stringendæ: si *attollere*, elevandæ: si *declinare* deprimendæ sunt &c. 4°. Cùm de te loqueris, aut de aliquâ cordis affectione, non percutere manu debes, sed pectori manum admovere. 5°. Denique cùm jusjurandum pronuncias, manum elevare debes; Deum enim exhibentes Prophetæ cum jurejurando loquentem, promittentem, aut minitantem, ipsum dicunt manum elevasse & populo suo benedixisse in misericordiâ suâ; aut ipsum in justitiâ suâ puniturum.

RHETORICÆ SACRÆ LIBER SEPTIMUS.

MONITA ET REGULÆ.

De Concionatorum Imitatione.

TRADITIS in ſex præcedentibus Libris, circa varias Conciones componendas & pronunciandas, Monitis ac Regulis, Tractatui iſti deeſſet profectò aliquid maximi momenti, (nè dicam maximè neceſſarium quid,) niſi ſeptimum de Imitatione peritorum in arte ſcribendi & dicendi adderem; ut enim juxta traditas huc uſque Regulas & Monita, optimas poſſis conficere & pronunciare Conciones, prorsùs neceſſarium eſt, ut ſcias quidquid circa Imitationem in genere concionandi, ſcitu cuilibet optimo Concionatori neceſſarium eſt, aut ſaltèm cuilibet Concionatorem optimum evadere cupienti. Quid autem in hoc Imitationis genere ſcire debeat talis Concionator dicam in Sectionibus Librum iſtum ſeptimum & ultimum conſtituentibus. In 1ª. de ſpectantibus ad neceſſitatem talis Imitationis. In 2ª. de ſpectantibus ad ejus materiam. In 3ª. tandem de ſpectantibus ad formam, ſeu modum imitandi, ſeu breviùs, 1°. Cur? 2°. Quid? Et 3°. Quomodo optimos imitari Concionatores debeas.

SECTIO PRIMA.

DE MOTIVIS IMITATIONIS IN GENERE CONCIONANDI.

CUR optimos debeas Oratores imitari quæris, Concionator Candidate, & discere à me cupis: optima Quæstio: utinam igitur & responsum à me hîc accipias optimæ Quæstioni adæquatum! Quidquid sit, respondeo quià 1°. licita est tibi, 2°. imò & necessaria optimorum Imitatio, 3°. nec tibi soli, 4°. quià tibi non sufficit ad finem intentum in Quæstione istâ tuâ expressum, Sanctos Patres, Scriptores Prophanos, imò nec Sacram Scripturam scrutari & legere. Pro quibus, quatuor hîc proponam primæ Quæstioni tuæ subalternas Quæstiones, & optatâ à te brevitate solvam: Quære igitur à me, & mox dicam tibi.

QUÆSTIO PRIMA.

AN licita sit Concionatori Candidato Imitatio?

NON desunt qui aut de se nimiùm præsumentes, (quod absit à te,) aut ubi non est timor trepidantes, (quod de te pace tuâ dicere cupio,) dicunt Imitationem in concionandi genere, (à se utique minùs rectè apprehensam) respuendam esse, tanquam speciem quamdam furti. His igitur est & tibi probandum hanc non furtum, sed similitudinem optatam, iis quos imitari gestis non injucundam, sed gloriosam & honorificam, & in concionantibus, aut Conciones conficientibus non mirandam, nec à quovis ullo modo damnandam: ideòque à Candidatis, Tironibusve non rejiciendam esse concludam. Non esse furtum, quis inficias seriò ire potest attendens ad hanc D. Augustini certè non contemnendam sententiam. „ Sunt quidam, inquit, qui benè pronunciare „ possunt, quid autem pronuncient excogitare non „ possunt: quid si ab aliis sumant eloquenter, sapien- „ terque conscriptum, memoriæque commendent & ad Populum

Lib. 4. de Doctr. Christ.

„ Populum proferant? Si eam personam gerunt, non
„ improbè faciunt, neque deterrendi sunt voce Jeremiæ
„ Prophetæ per quem Deus arguit eos, qui furantur
„ verba ejus; qui enim furantur alienum aufferunt:
„ Verbum autem Dei non est ab eis alienum, qui ob-
„ temperant ei. Potiùs ille dicit aliena, qui cùm dicat
benè, vivit malè. " Quis ergo furem, aut raptorem in genere Concionum aut Scriptorum, eum seriò & rectè dicet, qui nec alienas Conciones impunè & invito auctore facit suas, aut qui, ipso non contradicente, ejus Conciones de verbo ad verbum adoptat, monito, aut saltèm ubi opus fuerit, monendo Auditore de ratione hujusmodi adoptionis? Aut qui iis similes, & in ipsâmet similitudine & imitatione, exemplari earum aliquantò perfectiores componit, adeò ut sit Discipulus super Magistrum, aut saltèm sit sicut Magister ejus? Tales autem volo optimorum Concionatorum imitatores, tales volo & adoptantes: ut scilicèt non vivant malè cùm dicunt benè, ut non à se alienum, sed charum, lectum, meditatum, custoditumque tanquam à Filiis Verbum Dei prædicent: sanas tamen & irreprehensibiles eligas, & imiteris, aut sic adoptes Conciones cum unctione, zelo & prudentiâ sic pronunciandas, ut à doctis Auditoribus interrogatus an intelligas, aut quomodò intelligas quæ dixisti, non cogaris respondere silentio tuo, aut ipsomet responso ineptiori quàm silentium ipsum: *Et quomodò possum, si non aliquis ostenderit mihi.* (*a*) Qui autem typis mandari curaverunt, quas sic aut imitaberis, aut adoptabis Conciones, quomodò conquererentur de sibi ablatis? Cùm eò ipso quòd & à plurimis emuntur & pronunciantur, gaudeant; quia sibi non immeritò honorificum putant, aut fortè simul lucrativum, imitatores sui habere.

(*a*) Act. VIII. v. 31.

Erubescere autem non debet quisquam quantavis scientiâ emineat, aut imitari, aut adoptare cogitata ab alio; sivè quia adeò finitus est omnis creatus intellectus, ut mirum non sit quòd alius alio rectiùs cogitaverit: sive quia confici vix potest Concio omni ex parte solida, recta & venusta, nisi pictoris exemplum sequamur, qui ex congregatis plurium personarum vultûs lineamen-

tis, unius personæ effigiem pingit pulcherrimam. Si enim ex singulis Scriptorum etiam celeberrimorum operibus colligeret quis quidquid alius ex alio imitatus est, innumera propè ab eo essent conscribenda collectorum volumina. Non mireris igitur, si vel ex unius ore audieris, vel in scriptâ Concione legeris plura quæ jam ab aliis audivisti, aut in iis legisti; toties siquidem eædem prædicatæ fuere veritates, virtutes, eadem & Mysteria, & Sanctorum præconia; ut vix jam possit quis de iisdem dicere aut scribere, quod ab alio jam eodem ferè modo scriptum, pronunciatumve pluries non fuerit, clamante & concionante Ecclesiaste: (b) „ *Quid* „ *est quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quid est quod* „ *factum est? Ipsum quod faciendum est. Nihil sub Cælo* „ *novum, nec valet quisquam dicere: ecce hoc recens est; jam* „ *enim præcessit in sæculis quæ fuerunt antè nos.* “ *Liceat igitur dictis his Sacri Scriptoris addere: Quid est quod scriptum, prædicatum cogitatum est? Ipsum quod cogitandum, scribendum, & prædicandum est.* Non satietur ergo oculus tuus visu, & Concionum lectione, nec auris tua auditu concionantium: nec illicitum tibi putes in genere imitationis Concionum, quòd iis quos imitaberis licitum fuisse constat in sæculis quæ fuerunt antè nos. Sed quid dico licitum? Quærenti enim tibi

(b) C. I. v. 9. & 10.

QUÆSTIO II.

AN Candidato Concionatori sit Concionatorum imitatio necessaria?

AUDENTER & ultrò dico, & mox probabo esse utique, non ineptorum quidem, sed optimorum imitationem, optimas tibi Conciones conficere & pronunciare fructuosè volenti necessariam; quid est enim, quæso, Rhetoricam Sacram, (ad fructuosè concionandum procul dubio quasi absolutè necessariam,) aut à Deo prout Apostolis infusam, aut artificialem & acquisitam addiscere velle? Nisi viam addiscere & quærere quà corda ingreditur humana: nisi artem quærere passiones hominis liberi pro libitu tamen nostro, & movendi & sedandi. Sed quibusnam hoc est possibile, nisi aut

iis quibus infusa est ars hæc tot aliundè doctis viris operta, aut quibus fuit experientia Magistra, aut qui Magistros habent vel propriæ, vel alienæ experientiæ Discipulos, quos tanquam optimos quisque imitari potest? Ergo necessaria iis saltèm imitatio est, qui à naturâ, aut à Deo infusam hanc artem non habent: hoc docent Rhetores. Nec *propriâ te* dicas *hanc posse experientiâ addiscere.* Experientiæ enim sufficienti vix totius vitæ cursus satis erit. Juvare te studium potest, possunt & tradita in sex suprà enucleatis hujus Rhetoricæ Sacræ Libris Monita & Regulæ: sed hæc quàm longa via sit jam fortè conquestus es: illam tamen te oportet viam sæpiùs calcare ultroneo & spontaneo pede; sed istam non debes fugere, nempè optimorum imitationem. Eloquentiæ Sacræ fundamentum ipsa natura est, per exercitationem & imitationem, sensim perficienda. Multùm confert huic exercitatio, sed plùs ipsamet imitatio; per hanc enim & ideæ nostræ sic diriguntur, & mentes elevantur: sic quidquid in nobis vitiosum est, corrigitur, & quæ desunt, nobis supplentur: sic tandem proficiunt quicumque, etiam mediocris ingenii viri, donis tamen naturalibus aliundè non penitùs orbati: ut per ipsam solam peritissimorum imitationem evadant & ipsi plerùmque peritissimi. Sed nisi hæc sufficiat, & ultrà quæras à me

QUÆSTIO III.

AN soli Concionatori necessaria sit peritorum Imitatio?

MOVEAT te saltèm ad imitationem exemplum cæterorum; nulla enim assignari ars potest, cujus etiam minima addiscere elementa possimus, nullo docente Magistro, à quo nos incipere non oporteat, cujus & sequi Regulas, ut intentum opus perficiamus. Nonne singuli Pictores, Architecti, Sculptores, & cujuscùmque generis Artifices. Discipulos se fuisse gloriantur peritissimorum, quorum tandem per imitationem, facti sunt perfectissimi ipsimet Magistri? Quænam imò ars, quæ naturam non conetur imitari? Quænam scientia cujus Tyrones in aliorum labores non introeant? Quis illos dicet eum perfectionis apicem attigisse unquam ad quem

pervenerunt, nisi harum à doctissimis Magistris documenta accepissent Discipuli, nisi Magistrorum suorum vestigiis, laudabili adhæsissent æmulatione? Si quid est tandem virtutis & boni inter homines, nonne hoc per occurentium imitationem exemplorum à generatione in generationem transmissum fuisse, & transmitti fateri quisque cogitur? Quid mirum igitur si te eximium evasurum Concionatorem dixerim, dummodò peritissimos imitari te non pigeat Concionatores, testantibus hoc quibuscumque eloquentissimis, quos priùs certum est Discipulos Eloquentiæ fuisse, quàm Magistros: se videlicèt disertè loquentes quoslibet audiendo artem disertè loquendi, artem verò rectè scribendi per assiduam disertè Scribentium lectionem, didicisse.

Glorientur nunc, si audeant, nonnulli dicentes: se quidquid in lucem edunt ex proprio fonte hausisse, ideòque inventores se esse, alios verò tantùm Imitatores, aut Exscriptores: seque ita esse Concionum suarum Auctores, ut nemini sint hâc in arte debitores. Et hi quidem, si eminenti reverà gauderent ingenio, quo cæteris prælucerent, ipsis utique libentissimè de acceptis donis congauderem, moneremque simul, ut suos pro publicâ utilitate, fontes ad majorem Dei gloriam dignarentur effundere; sed videant nè potiùs isti imitatores, & Exscriptores mali dicendi sint. Quibus autem assimilabo celeberrimos hujus generis loquaces, qui commune ingenium cùm fuerint a naturâ consecuti, se nihil cum aliis commune habere, tam ineptè gloriantur? Quibus eos similes dicam? Non apibus profectò, quæ singulis ex floribus ceram colligunt & mel: sed potiùs araneis, excudunt equidem propriis ex visceribus visu mirabiles telas, sed nihil præter muscarum laqueos texunt. Dices utique *te non ex propriis tantùm ideis; sed ex „ SS. Patri- „ bus ex Sacrâ Scripturâ, Profanisque Scriptoribus deprompta „ habere, ideòque Concionatorum te imitatione non indi- „ gere.* " Perpendendum igitur.

QUÆSTIO IV.

AN Profanorum, SS. Patrum & S. Scripturæ Lectio Concionatori sufficiat?

SCIO non contemnendam esse Profanorum Lectionem, multùmque prodesse Sanctos PP. modò ad dicta de utrisque Libro 2°. attendas, imò ad hanc te adhortor. Quoàd SS. autem Scripturas in ipsis non me latet 1°. de Deo, Divinisque perfectionibus ac Mysteriis nostris animi sensus inveniri præclarissimos, stylumque in suâ simplicitate sublimem, vividasque ac splendidas virtutum vitiorumque omnium descriptiones præsertim in Prophetarum Libris. Scio per Isaïæ cogitationum sublimitatem, mentes elevari, per vividum Jeremiæ stylum corda moveri, per Ezechielem terrorem incuti, devotionem verò per Danielem ingeri. Scio in omnibus Prophetis vim & magnitudinem, naturalemque quamdam, Profanis incognitam Scriptoribus reperiri Eloquentiam: in Davidicis Psalmis pios vividosque ac mellifluos animi sensus: in Salomone nobilem, optimèque explicatam morum informationem: in D. Pauli Epistolis ratiocinia legi invictissima. Breviùs dicam; scio Sacris in Libris thesaurum esse infinitum pro quâlibet Concionum specie; ideòque veram quærentibus Eloquentiam, Magistrum, quem imitentur proponi non posse majorem quàm Spiritum Sanctum, Sacris in Codicibus per os Prophetarum & Apostolorum loquentem. Sint tibi igitur veluti armamentarium, in quo jacula invenies contrà Dei inimicos, vitiorumque monstra. Sint tibi Bibliotheca, in quâ, quidquid prædicare Populis debes, reperies. Hos meditare ut memoriâ teneas; quò plura enim in Concionibus tuis erunt Sacris ex Scripturis deprompta, eò potiori jure Concionatoris nomen mereberis, utpotè Populis verè annuntians verbum Dei: jam dudùm enim non sine causâ dictum est, eum disertum fore & ad movendum Concionatorem aptissimum, qui Libros Prophetarum, Psalmos Davidis, Divique Pauli Epistolis memoriâ tenens opportunè concionando adhiberet. His tamen non

obstantibus , necessariam tibi esse Concionatorum imitationem dico, ut discas quomodò & Sanctos Patres , & Sacrarum debeas Scripturarum textus adhibere undè sit

SECTIO SECUNDA.

DE MATERIA IMITATIONIS IN CONCIONATORIBUS:

NEMINI dubium est quin optimos quisque Concionatores imitari debeat ideò 1°. Quinam optimi habendi sint: 2°. An inter plures optimos unum tantùm debeas imitari : 3°. An verò omnes simul : 4°. An sit quid in veteribus imitatione dignum : 5°. Quid tandem in novis imitari debeas , non injucundum erit tibi , ni fallor , nonnulla à me audire Monita. Sit igitur

QUÆSTIO PRIMA.

QUINAM inter Concionatores habendi sint optimi?

OPTIMOS Concionatores dico, 1°. non quorum fructus, & finis à concionante intentus sint Doctorum Auditorum laudes & plausus de sermonis venustate, styli sublimitate, moralis subtilitate, modorumve loquendi exquisitâ inventione : 2°. Non quos Populus audiens non intelligit, nihilque ex auditis colligere potest, præter siccam admirationem; sed optimos nec immeritò affirmare audeo eos, quorum Conciones ad omnium captum cùm sint accommodatæ, omnibus prodesse possint ad morum reformationem: ità ut has audientes corda eorum , qui cauteriatam habent, (ut ait Apostolus) conscientiam , pungantur, penetrentur, moveantur, conterantur, & convertantur ad Dominum Deum suum: Qui verò justi sint, ad altiorem justitiæ & perfectionis gradum anhelandum excitentur : iique , qui cùm in sordibus sint, sordescere non desinunt, sint inexcusabiles, si converti ad pœnitentiam nolint. Sivè autem à doctis, aut persuasibilia humanæ Eloquentiæ verba quærenti-

bus, laudentur horum Conciones, sivè non laudentur exteriùs: de hoc noli curare, dummodò sic vivant, ut Concionatoris verè Apostolici Dei gloriam, animarumque salutem unicè quærentis nomen mereantur; eorum & Conciones, & vitam coneris imitari, optimosque illos procertò habeas Concionatores, qui eos ipsimet imitati sunt; quibus de sursùm datum est, ut vias noscant ad movenda Auditorum corda optimas, & ad intellectum debitè illuminandum. Nè autem circa optimorum imitatione dignorum electionem erres, audi circa hoc vocem Populi, vocemque Doctorum illorum, in quibus conjunctam cum verâ pietate scientiam invenies; isti enim vocem quoque Populi sequentur, & indicare tibi possunt, an cum fundamento vel non, talis vel talis à Populo tanquàm optimus habeatur Concionator. Sed audi & propriæ vocem conscientiæ; à quo enim sivè scriptas legens, sivè pronnnciatas audiens Conciones moveberis, ac te evictum senties & corde compunctum; hunc inter optimos, quos imiteris, Concionatores adnumera, maximè si jam & à Populo & à piis doctis adscriptum hunc videris. Sicut enim ex fructu arbor agnoscitur, ità ex perversorum conversione, justorumque perfectione majori, optimum ab inutili Concionatorem discernes.

„ *At*, inquies, *si plures optimarum hujusmodi Concionum Scriptores vel Pronunciatores me contigerit invenire, numquid unum tantùm inter omnes satiùs est me imitari, an omnes simul?* " Optima, sed & difficilis est solutionis Quæstio hæc. Quid tamen de hâc sentiam, intelliges ex propositis pro utrâque parte rationibus.

QUÆSTIO II.

CUR optimum sit inter plures onptimos Concionatores unicum imitari?

PLURIMORUM sententia est facilius imò & securius, ergò & satiùs esse Concionatori Candidato unum eligere inter plures optimos, qui aliis perfectior habetur, quamquàm non sit in omnibus æquè perfectus; quàm si plures simul imitari conaretur quasi spoliis omnium optimis ditari volens: contrarium verò sentientes

audire mihi videor quærentes, ut olim Nicodemus à Domino: *Quomodò possunt hæc fieri?* Peritis in arte responderem: *Tu es Magister in Israël, & hæc ignoras?* Tyroni verò rationes hujus do sequentes: 1ª. est; quià cùm quot sunt vocis diversi soni, totidem propè sint & varii Eloquentiæ characteres, varii ingenii viri, varii item modi conceptus suos exprimendi, eademque materiam disponendi; impossibile tantasie videberis, si omnia hæc in te volueris conjungere; modus enim unus disponendi & exprimendi alium evertit, vel saltèm excludit: Stylus V. G. vehemens, rapiens figurisque ornatissimus, quomodò potest cum leni, simplici suaviterque fluente stare simul in eodem? Ergo omnes simul imitari non poteris, quin alter ab altero vitietur, aut debilitetur, aut ex omnibus simul unitis irregulare quid resultet ac monstruosum. Si, proprio igitur relicto, alienum volueris stylum imitari, & tuo detrimentum inferes, & alienum non indues, sed tertium quemdam proprio ineptiorem. Quot enim, qui prosperum habituri fuissent in Eloquentiæ Palestrâ exitum, si innata sategissent propria excolere talenta? Violentâ autem imitatione contigit, ut quidquid bonum à naturâ acceperant, penitùs vitiaretur in ipsis. Quot visi sunt, qui celebres quoslibet simul imitari gestientes, in ridiculam, noxiamque simul labentes affectationem, pro quæsitis plausibus, Sibilum sunt adepti & contemptum? Alii (scilicet stylum sectantes sibi prorsùs exterum) opprobrium consecuti sunt Oratorum insulsam Sermonis venustatem studiosiùs accersentium: alii vehementem è contrà proprio contrarium imitari volentes, non secùs ac rana tumescens tauri mugitum, quasi crepuère medii, diffusaque eorum viscera fuere.

Secunda Ratio est, quià paucos esse constat solido adeò judicio sensuque ac intellectu adeò exquisito præditos: ut ex Concionatoribus, quos legunt vel audiunt, minima à maximis, trivialia ab optimis discernere possint: quo fit, ut optimos omnes & maximos, plerùmque non tales in se, imitari volentibus, idem prorsùs accidat, quod viro variis exquisitisque ex alimentis enutrito, vel plùs quàm decoquere stomachus potest cibi sumentibus;

bus : naturalem ſcilicèt in ſe calorem extinguunt, nec ex variis variæque qualitatis cibis chylus fit utilis & ſanus, ſed ſanitatis indè ſequitur detrimentum numquam aut raró ſaltèm, penitùs per quæcumque medicamenta tollendum. Dicendum ergo videtur unicum inter plures optimos imitari volentibus minùs eſſe periculi, quàm tanquàm fictæ à Poëtis Pandoræ perſonam gerentibus, omnia aliorum ornamenta induere anhelantibus.

At, inquies, „ *nonne Tullius non Demoſthenem ſolùm* „ *ſed plures alios ſimul imitans, & proprium ſimul excolens, eximium ſibi conſecutum fuiſſe ſtylum dicitur*? „ *Quidni & nos poterimus*? *Dic nobis ergo* “

QUÆSTIO III.

Cur & quomodò optimum è contrà ſit plures optimos ſimul imitari ?

OPTIMA quæſtio, optima ſimul & objectio! Scio Tullium Oratorum Principem ideò evaſiſſe; quia & Iſocratis lenitatem, & Liſiæ ſoliditatem & æſchinis pondere, menſurâ, numeroque conſtantem ſtylum, & in pluribus Demoſthenis vehemens & acre dicendi genus, non verò iſtius in omnibus ferreum & corruſcantem eſt ſtylum imitatus. Tempus eſt igitur ut quid ſentiam & ego notum faciam. *Inter utrumque ſcilicèt ſapienter ambulandum dico.* Elige ergo optimum unicum inter plures perfectiſſimum, quem præ cæteris imitari, cujus veſtigia ſequi primùm ſtudeas : cùmque nullus numeris omnibus abſolutus, ſummèque perfectus inveniri poſſit; cur mutuari ab alio non liceat quod illi deeſt jam non video. Cùm ergo inter Concionatores alius vi, & vehementiâ Eloquentiæ ſuæ floruerit, alius ſuaviter fluenti, alius majeſtati junctâ gravitate, alius fluido & eleganti ſtylo; alius denique aliis cæteros donis antecelluerit : apum more, ex ſingulorum ſucco florum mel & ceram componito, & ſi nullum inveniri conquereris perfectiſſimum ſivè inter veteres, ſivè inter novos Concionatores; ſivè etiam inter Patres Græcos Latinosvè; ex ſingulis quod ad fructuoſas Conciones optimum judicaveris, collige etiam ex Prophanis Oratoribus, ex

Forenſibus aut Academicis; in iis enim, ſaltèm optimis, quid imiteris invenies. Nec formæ ſimilitudini, quam attingit imitatio, materiæ obſtat diverſitas. Si enim licitum, imò & glorioſum Iſraëlitis fuerit ex Ægyptiorum ſpoliis diteſcere; quidni & Concionator licitum putabit Oratores Profanos, Forenſeſque & Academicos prudenti imitatione expoliare & diteſcere, maximè cùm Græcos Latinoſque in hoc duces habeas Patres? Ubicumque igitur aut legendo, aut audiendo aliquem inveneris cujuscumque ſtatûs ſit, etiam ruſticum, & montium incolam in quo floreat aut rectæ rationis vis, aut rectitudo & acritas in probationibus, aut in detegendo nervo difficultatis ſolertia, & in ſolvendo facilitas juncta ſubtilitati, aut in præveniendis objectionibus perſpicacia, aut in enucleandis rationibus ſoliditati juncta ſubtilitas, aut in variandis magis magiſque lucidis expreſſionibus ſolertia: ubicumque, inquam, hæc inveneris, gaudens ſilenſque collige. Si etenim iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti omnia cooperentur in bonum; cur Dei gloriam, redemptarumque animarum ſalutem zelanti ſcripta dictaque omnia non converterentur in ſalutis inſtrumentum? Feſtina ergo à me quærere

QUÆSTIO IV.

AN ſit quid priſcis in Concionatoribus Imitatione dignum?

NON ſicut cæteris in omnibus ità quoàd Eloquentiam ſtat pro antiquis præſumptio. Quot enim aut in infimis Bibliothecarum noſtrarum gradibus jacent pulvere conſperſæ, aut in angulis, lucis radiis vix patentibus, ægrè ordinatæ videntur typis mandatæ Conciones Sacræ? Quas, nè tranſeunter quidem, niſi fortè recreationis gratiâ legere dignamur: quarum Auctores tamen ſœculo ſuo celeberrimi, coràm Regibus & magnatibus concionantes, plauſus nomenque conſecuti ſunt non minimum; in quibus tamen artis Eloquentiæ, imò & rectæ rationis tanta penuria eſt, tot triviales vilioreſque affluunt & exuberant loquendi formulæ montium incolis vix arridentes. Collectas ab Evangelicis hiſce meſſori-

bus ſegetes uberrimas non diffitebor quidem; ſed ex ipſorum zelo ardentiſſimo, ex Apoſtolicâ filiisque tonitrui propriâ in peccatoribus increpandis, vehementiâ, & ex maximâ imprimis ſanctioris vitæ ubique diffusâ & perſonante famâ repetendam eſſe tam incredibilem Auditorum affluentiam, quis negare poteſt? Aut eum qui infirma mundi eligit, ut quandò vult, fortia quæque confundat, & ignobilia, & contemptibilia, & ea quæ non ſunt ut ea quæ ſunt, deſtruat: in hujusmodi verbi ſui ſeminatoribus voci ſuæ vocem virtutis dediſſe, qui linguas infantium facit diſertas, illitteratasque per mulieres ac virgines ſapientiam ſapientium irridebat, Doctorum Eloquentiam Philoſophorum confundebat? Quid autem de illis nùnc eſt dicendum, niſi eos, ſi fortè ſuis ex ſepulchris vocati reviviſcerent, ſivè methodum ſuam, ſivè idiomatis formam, ſivè modos ſeſe exprimendi fore procùl dubio variaturos? En quid de veteribus ſentiendum judicavi, nec quisquam inficias ibit. Veteres autem hîc intelligo Concionatores; qui à ducentis trecentisvè ab hinc retrò annis, ad medium uſque circiter ſœculi proximè elapſi floruere.

QUÆSTIO V.

AN ſit in recentioribus imitandum aliquid?

SUMMUM ferè perfectionis apicem ſenſim attigiſſe Eloquentiam Sacram nemo neſcit; in nonnullis autem ex proximè elapto ſœculo quædam inveniuntur Conciones quæ perfectionem nihilo minùs ſitiunt non modicam. Sed quidquid ſit, certum eſt Eloquentiam ad eum tandem perveniſſe perfectionis gradum, quem priſcis in Oratoribus, nullus eſt qui non miretur. Quòdſi ad Concionis materiam ratio habeatur, jam audens dico coætaneos nobis Concionatores longè eſſe antiquis imitatione digniores, quorum quaſi barbaro nobis ſcriptas idiomate Conciones habemus, quas ſi in hodiernum noſtrum tranſtulerimus, mediam propè ſui vim amittunt, & venuſtatem. Cùm itàque Concionibus adſueris tùm proprias obligationes docendus, tùm ut quomodò alios ſuas docere viciſſim poſſis, addiſcas: ad ea, ex quibus motum

cor tuum, evictum & intellectum senties; quomodò ad humanum cor pateat aditus: quomodò præparentur Auditorum mentes, ad audienda concionantium corda eructantia verbum bonum, attende. Nec ad pronunciatas tantùm Conciones optimas; sed etiàm ad typis mandatas: etsi enim istis tanta non insit vis movendi, quanta in illis, ad ea tamen reflectendi major libertas habetur, ad probationum vim, & rationem attrendendi, faciliùsque memoriâ tenetur, quod datâ occasione applicetur. Quærenti autem tibi

QUÆSTIO VI.

QUIDNAM specialiter in concionantibus actu, vel scripto imitari possit Candidatus Concionator?

NUMQUID respondebo imitari te debere gestum, vocem, & quidquid ad Pronunciationem spectat? Multùm hanc scio ad Eloquentiam conferre, imò & à Rhetoribus non immeritò judicatam fuisse præcipuam Rhetoricæ partem; sed nonne hæc naturæ donum est? Utique: sed donum dico in quo, si operatus fueris majus lucrifacies, aut saltèm idem, mediante artis auxilio, perficies. Ideò Librum tibi de Pronunciatione tradidi, imò & tota ista tibi ad hôc proderit Rhetorica Sacra; si verò hoc tibi donum, quale tibi optares, non sit impertita natura; si imò innatos doleas te defectus habere, cur frustrà doles? Cùm aliundè per studium, per exercitationem, per fusas ad Deum preces, per amicorum Monita, per imitationem tandem super omnia, possint abundè compensari. Si itaque Pronunciationem quantùm esset optandum, perfectò imitari non potueris, imiteris saltèm compositionem, scilicèt inventionem, dispositionem, elocutionem, stylum, figuras, principia, probationes, moralitates, modos increpandi, hortandi, docendi, subdivisiones, transitiones, connexiones, periodos, cæteraque omnia, sivè de quibus dixi, sivè dicam.

In isto imiteris urgens validumque ratiocinium, in illo expressionum concinnitatem & expositionem: in uno mirabilia Eloquentiæ jacula, in alio longè optabiliorem

Sancti Spiritûs Unctionem, devotique animi affectum illum, qui pro Deo legatione fungentes decet, longèque uberiores affert Evangelico Operario fructus. Disce ab uno rectitudinem & præcisionem Sermonis, argumenti prosecutionem haud obliquam, methodum, modumque placendi & suadendi : ab altero disce vehementiam illam, quâ cauteriatæ erubescunt coram Deo conscientiæ, cordaque punguntur, & ad egestionem excitantur ulceribus plena. Doceat te Chrisostomus vehementiam & majestati junctam gravitatem ; Bernardus suavitatem, & fluiditatem styli, *D. Joly* patheticos motus. In *Biroat* & *Giroud* soliditatem imitere, in *Cheminais*, & *La Colombiere* urbanitatem devotique animi affectum, in R. P. Nicolao styli gravitatem. Calamum tuum dirigat idem R. P. Nicolaus in variis modis Concionem, & Concionis partem incipiendi : in comparationibus R. P. *Le Jeune*, in Allegoriis S. Scripturæ applicationibus Auctor Moralium Sermonùm, seu *Discours Moraux* : idem in Rhetorices Figuris, magnis cordis motibus, transitionibus, & ubertate in dicendo. Dux tibi sit in divisionibus Auctor probationum ad Conciones, seu *Essais de Sermons*, idem in deducendis ex Evangelio Concionum argumentis.

In *Bourdaloüe* ratiociniorum soliditatem, & connexionem, textuum S. Scripturæ & Patrum enucleationem disce, & prosecutionem : in *Actions Chretiennes*, applicationem egregiam S. Scripturæ, Historiarum & Textuum : ad idem *Eloges des Saints*, in quibus & disces Sanctorum characterem adumbrare : à *Begand.* Sermonis puritatem, modumque aliorum cogitata imitando ornandi : à *Bretonneau* soliditatem modumque probationes rectè deducendi : à *La Pallu* modum cordis medullas penetrandi : à *Segand* & *Perussau* Ichnographiæ amplitudinem, amplificandi facilitatem, in dicendo sublimitatem, religiosam, nativamque libertatem : à *Massillon* modum principia statuendi, internam morum informationem, elocutionis varietatem. Sint tibi duces pro Panegyricis Concionibus *La Roche*, *La Parisiere* &c.

SECTIO TERTIA.

DE MODO CONCIONATORES IMITANDI.

HUC usque Monita, Regulasque circa motiva & materiam imitationis cùm acceperis, ut te nihil circa hanc lateat scitu necessarium, quid super est nisi ut discas quomodo Concionatores debeas sivè in conficiendis, sivè in pronunciandis Concionibus imitari? Quod cùm vel benè fieri possit vel malè, de utroque dicam, ut unum secteris, nempè modum optimos Concionatores benè imitandi, & ab altero declines, id est à modis variis, quibus plerùmque nonnulli etiam optimos malè, aut pessimè solent imitari. Sit igitur

QUÆSTIO PRIMA.

QUOT mòdis fieri possit bona imitatio?

QUADRUPLICI fieri posse modo imitationem dico, quorum si unum adhibueris, & inventoris, & inventorem imitantis salvus honor erit. Ex quatuor autem unus præ cæteris est optimus. Primus itaque modus imitandi iste est: Concionatorum, quos statueris imitari dicta & excogitata sic ingenio tuo accommodabis; ut quæ ad rem, de quâ agendum erit, spectant assumas; quæ verò non spectant prætermittas: non secùs ac in convivio; ibi enim ex omni ciborum genere ideò mensa paratur, ut ex iis, quæ sibi arrident, & quantùm voluerit, & quantùm ad honestam refectionem necessarium erit assumat: sic ex variis Concionatorum operibus componuntur Bibliothecæ, & ex illis tibi optimos quosque suprà enumerando quasi mensam paravi; ut ex quolibet, quod utile, aptumque tibi videbitur; ad fructuosas Conciones depromas, & stylo sibi constanti ad intentam Concionem adaptes per liberam hanc primam imitationis speciem, quam ideò liberam dico, quia non Auctoris verba, sed sensum ità proprium tibi

Primus Modus.

facis, ità Concionibus ejus uteris: ut Auditores monere nequaquàm tenearis, quasi ab iis licentiam petiturus Concionibus ejus utendi, proùt fit cùm textus S. Scripturæ; vel SS. Patrum adhibes. Sic D. Bernardus operibus S. Augustini in suis Concionibus & Scriptis usus est, D. Augustinus Cypriani, Cyprianus verò Tertulliani. Cur non poteris igitur respectu optimorum sœculi nostri Concionatorum, quod respectu antecessorum suorum licitum fuit Patribus?

SECUNDUM autem & mox explicato similem audi imitandi modum: Gallus es? Hispanus? Germanus? Italicam linguam cùm didiceris, Italicas lege Conciones, aut Germanicas, aut Hispanicas: si Italicus aut Gallicus, si Hispanus aut Germanus, aut alterius extranei idiomatis tibi noti lege Conciones, ideas Auctoris assumpti mutueris, modisque loquendi, & concionandi proprii idiomatis, non per simplicem ab extero in Patrium idioma translationem, nonnullorum more qui ideò brevi centenas & centenas fabricant sibi, de quibus ineptè gloriantur, Conciones; sed ità ut ideis & conceptibus, Ichnographiis tuis aptes quidquid ex alieno depromis, simulque modo concionandi Patrio & optimo accomodes: non paucos in hac imitationis specie duces habebis nostrates, qui exteras eum ob finem linguas addiscunt; sicque caducariæ (*c*) legis jure utuntur coram non contradicentibus: vel si malueris, ideò clarigatione (*d*) utuntur, quià nostras sic imitantur; sibique aptant Conciones exteri, nostroque incipiunt modo concionari. Si autem per simplicem, ut dixi, translationem optimas imitans Conciones translatas non furta dixeris esse, sed bello parta, ego has dicam, & jure dicam & rectiùs, vetitæ invectionis merces.

Secundus Modus.

(*c*) *Droit d'Aubène.*

(*d*) *Droit de Represailles.*

TERTIUM imitationis modum, (imitatio tamen si dici possit,) accipe; variis imò & quasi incognitis, nec magni nominis ex Authoribus, optimas quasque collige ideas, modosque cogitata exprimendi, & hæc omnia sic stylo tuo accommoda, ut ex abundantiâ ingenii tui dicta videantur. Fecit hoc Virgilius, fecerunt & alii priscis ex sæculis, faciunt & coætanei nostri non pauci: quidni & tu poteris quod & illi & illi? In iis enim aucto-

Tertius Modus.

ribus mox dictis, quam plurimos colliges nascentes Eloquentiæ flores, ciendis animorum motibus aptos loquendi modos, cogitataque præclarissima. His ergo utere, & quasi asperos expoli adamantes, vel quasi ex sterquilinio, (ut ait de seipso laudatus Virgilius,) aurum colliges, margaritas eriges quæ parato loco debitè collocatæ, innato fulgore, exterso luto, micare incipient. Vel quasi dissues aureas tæniolas ex corrosis vestibus, novisque vestimentis assues, quibus fulgorem afferent non contemnendum.

Quartus Modus.

SED quartum, optimum & verum Concionatores imitandi modum trado: optimum autem dico, quia optimis quibuscumque ab Oratoribus est usurpatum: in quo quos imitari statueris, æquare, imò & superare conaberis: & istud est: assumpti imitationis gratiâ Concionatoris ideis novam, venustioremque lucem ac claritatem admove, novumque adde perfectionis gradum. Cogita qualiter ille ratiocinaretur, si eadem quæ tu, aut similia haberet exprimenda: vel quid de Concione tuâ esset judicaturus; moxque fiet ut nisi magistros superare, saltem eos possis aliquo modo æquare: quod si fortè assecutus fueris, gaude; tibi sufficit enim discipulo ut sis sicut Magistri tui. „ *Non est* (e) *Discipulus super* „ *Magistrum: perfectus autem omnis erit si sit sicut Magister ejus.* “ Ne itaque etiam optima in optimis Concionatoribus, omniumque imitatione dignissima malè imitari tibi contingat, defectus tibi enucleabo præcipuos in imitatione diligentissimè vitandos. Quæres igitur à me ad respondendum jam præcincto

(e) Luc. 6. v. 40.

QUÆSTIO II.

QUOT modis mala esse possit Concionatorum Imitatio?

Primus Modus.

QUADRUPLICEM hîc exhibeo tibi Concionatorum imitatorem à quo caveas: 1°. Alii aliorum, aut exscribunt integras, aut partem maximam ex Concionibus, quas se imitari fortè non gloriantur: sed potiùs se in iis conficiendis multùm laboris impendisse, quas tamen de verbo ad verbum exscriptas fuisse

diu

diu non ignorant quicumque Conciones typis mandatas sœpiùs legerunt: veriùs dicerent se hi fures Concionum.,, „ *Numquid*, inquies utique, *à legibus aut prohibentur*, „ *aut puniuntur hæc furta* ? " Cui respondens dico: non à Regibus quidem furtà hæc prohiberi ullâ lege latâ, nec puniri: sed numquid non satis est quod à quibuscumque optimis Concionatoribus tanquam probrosa hæc habeatur furti species quædam, cujus si semel & iterùm reus fueris convictus, boni Concionatoris nomen numquam consequeris, aut irreparabiliter amittes? Numquid hoc tibi non satis est, ut ab hujusmodi malæ imitationis specie abstineas?

Secundus Modus.

Alii aliâ utuntur, nec minùs damnabili imitationis specie: pictorum exemplum sequuntur quorumdam, qui exscriptoris nomen opprobrium putantes, ex tabulis pictis mutuantur, idest exscribunt quidquid ad novam, quam intendunt componendam aptum sibi videtur: ex istâ caput & vultum, ex illâ humeros, ex unâ brachia, ex alterâ manus, ex unâ situm, ex aliâ verò habitum sic exscribunt ut cùm picta inspicitur ab ignaris tabella, laudetur quidem tanquam à cæcis, sed à peritis in arte, primo intuitu ex emendicatis particulis fabricata apprehenditur. Sartoribus simillimi sunt, qui, ex diversæ speciei pannis partes simul assuunt vestemque conficiunt: ut autem aliàs visibiliorem tollant desformitatem, ex diversi coloris partibus confectam vestem colore eodem respergunt, ut & ejusdem habeatur coloris, & ex novo panno, quæ ex veteri tantùm est. Quis ergo pari modo confectam non damnaret Concionem? At quosdam hîc audio conquerentes & dicentes: „ Si iste saltèm imitandi modus non sit licitus, quomodo singulis „ Festis diebus, Populos sibi commissos Verbi Divini „ pabulo enutrire poterunt Parrochi, & eorum juniores „ Vicarii; quibus vix satis superest temporis ad memoriæ mandandas, quas typis habent mandatas Conciones? " Quibus ut brevi respondeam, dico: hoc igitur ipsis licitum esse propter necessitatem, dummodò vera sit, & de ipsis dici non possit illud D. Augustini suprà citati: „ *Potiùs ille dicit aliena, qui cùm dicat* „ *benè, vivit malè.* " Sed istud quod ibi legitur:

„ *Verbum Dei non eſt ab eis alienum, qui obtemperant ei.* “

Tertius Modus. ALII forté imitantur benè ſecundùm quid, quatenùs ſcilicèt utuntur aliquo ex ſupràdictis tribus primis benè imitandi modis: ſed auditâ vel lectâ unâ tantùm aut alterâ Concione, (optimâ quidem in ſe, ſed non ut ubique, & quandocumque habeatur,) hanc tamen iſti ſic imitantur, ut, quidquid ſit de circumſtantiis, exemplar ſit omnium quas deinceps confecturi ſunt Concionum: in quibus conſequenter plurima dicunt omninò inepta, & incongrua, & fortè etiam aut riſu, aut correptione digniſſima: maximè ſi quaſdam tantùm imitentur loquendi formulas in Auctoris quidem ore optimas & non injucundas, ſed in ore imitantis omninò ridiculas.

Quartus Modus. QUARTO tandem malè imitandi modo alii utuntur: vel enim dictis & excogitatis alienis tot addunt explicationes, ideasque à proprio hauſtas intellectu: ut Concionem quam in exemplar aſſumpſére, omninò deturpaſſe, ab omnibus habeantur: vel è contrà ſic paucis plura conſtringunt, ut vis venuſtasque omnis auferatur. Attende ergo, quicumque ſic optimos imitari Concionatores prætendis, non minimam profectò ſolertiam iis eſſe neceſſariam, qui aut conſtringunt, & abbreviant, aut extendunt & amplificant ea, quæ debitâ cùm proportione à perito in arte ſtudiosè fuerunt elaborata. Ad hæc attende nè malè optimos imiteris: attende, inquam, Candidate Concionator, & ad tradita tibi in totâ Rhetoricâ Sacrâ iſtâ, cui finem tandem impono. Ipſimet Immaculatæ & Beatæ Virgini Mariæ totius Ordinis noſtri Seraphici Patronæ hanc dico, cujus opem & protectionem ſupplex petere debes, non ſolùm in cujuſlibet Concionis à te pronunciandæ Exordio, ut cum unctione & efficaciâ paratam pronuncies; ſed & quoties calamum eris ad has componendas ſumpturus; ſi enim „ *Beati* „ *qui audiunt Verbum Dei* “ . Quantò feliciores qui audientibus annunciant, ſed & audientibus & annuntiantibus dictum eſt: „ *Et cuſtodiunt illud.* “ Cuſtodi ergo & modum illud fructuosè annunciandi, in ſeptem Rhetoricæ Sacræ Libris, ideò tibi traditum: ut nocte dieque ipſi ſtudens, brevi diſcas Monita Regulasque, ſine quibus & diutiùs in conficiendis Concionibus inſudares, &

ad ineptas ſterilesque. Utinam & ego fruſtrà pro te in iis & ſcribendis, & (juxtà Reverendiſſimi Definitorii Noſtri Generalis voluntatem) explicandis laboraſſe numquam doleam!

Non dubito quin & multa, licèt involuntariè, in iis fortè deſiderata prætermiſerim, & in non prætermiſſis plura ſint fortè non ſufficienter, aut modo cuilibet Lectori, non arridenti enucleata. Ideò benevolos ad quos pervenerit Lectores rogo: ut votis meis circa Tractatum iſtum annuere non dedignentur, ab ipſis ſcilicèt cupio amicabiliter, & nullâ interpoſitâ morâ moneri ſivè de addendis, aut imminuendis, ſivè de immutandis aut clarius explicandis; ut ſi ipſis non diſplicuerint primi conatus, novos operi minùs quàm optavi perfecto, neceſſarios adhibeam, quam primùm per tempus & muneris, quo fungor exoneratione licuerit, juxtâ & liberè accepta, & veneranter perpenſa Lectorum per me expoſtulata Monita. Super eſt ut completum opus Eccleſiæ, & Superiorum judicio, & ſi neceſſitas fuerit correctioni humillimè, ut par eſt, ſubjiciam.

EX LIBRO TERTIO.

HIC factâ divisione Concionum in tria genera, scilicèt in instructivas, exornativas & purè morales, circà illas omnes Monita & Regulas tradentes dicemus: 1°. De divisione de quâ quærenti exponemus undè, & quid sit? Et quomodo statuenda sit sivè in ordinatis Concionibus, sivè in Homiliis? 2°. De partibus Concionis, scilicèt de Thesi, de Probationibus in genere quomodo eas debeat Concionator eligere, disponere, & prosequi? Et unde earum bonitas dignosci optimè possit? 3°. De Exordio & ipsi adjunctis, scilicet de Textu & Precatione. Et tandem circà Conciones Morales dicemus de veritate in illis probandâ, quare, & qualem hanc debeat Concionator eligere? Et quomodò debeat esse simplex & determinata?

EX LIBRO QUARTO.

DE Concionibus Exornativis dicimus quinque species esse, aliæ enim pertinent ad Christum, aliæ ad Beatam Virginem Mariam, aliæ ad Sanctos, aliæ ad Viros illustres vitâ functos, aliæ tandem ad Christianos mortuos mundo. Primæ speciei Conciones dicuntur Mysteria Christi: Secundæ Mysteria Deiparæ: Tertiæ Panegyricæ: Quartæ Funebres: Quintæ tandem Monasticæ nuncupantur. De his omnibus sigillatim petenti explicabimus quis sit cujusque finis? Quomodo eligenda Ichnographia? Qualis moralitas? Et qualis tùm in Concione, tùm in Moralitate unitas? Qualis Forma? Qualis & Stylus debeant adhiberi? De Sanctis pandemus quid sit observandum circà illorum characterem, virtutes, peccata, dona naturalia, & miracula? De Funebribus Concionibus explicabimus quomodo à Panegyricis differant? Quænam sit earum difficultas? Et quæ in ipsis sint vitanda? De Monasticis verò undè oriantur? Cur inter Exornativas sint adnumerandæ? Unde earum finis desumendus? Quænam in illis possint Argumenta eligi? Et quid potissimùm sit in illis probandum? Et tandem quid in earum Exordiis, Ichnographiis & moralitate sit à Concionatore observandum?

EX LIBRO QUINTO.

DICIMUS quinque esse speciei media ad movendam Auditorum voluntatem scilicèt ista : primum est Morum informatio quæ aut externa est , aut interna. Circa internam quid de passionibus in genere & in specie ? Quomodo fieri debeat hæc morum informatio ? Et cur sit plerùmque inutilis ? Circà externam verò an sint observandæ circumstantiæ ? An admittendæ Satyræ , & vitii vitiosorumque descriptiones & enumerationes ? Quomodo dirigenda hæc morum informatio ? Secundum medium ad movendum dicimus esse figuras , & quid circà illas tùm in genere tùm in specie sit observandum ? Tertium modum statuimus esse affectus & circà hos quærenti dicemus an ? Quomodo ? Et quando sint in Auditorum cordibus excitandi ? Et quid in Peroratione observandum ? Quartus modus est Unctio Spiritualis , quid & quotuplex sit ? An ad fructuosam Concionem necessaria , & quibus mediis sit comparanda, curiosis patefaciemus ? Pro quinto tandem modo Stylum proponimus , & circà illum quid de ejus necessitate & divisione ? Quid de ejus qualitatibus ? Inter quas libertatem, novitatem & varietatem potissimùm adnumerandas dicimus. De ejus defectibus in verbis & constructione vitandis, dequibusdam Concionis partibus stylo subjectis, scilicet quid circa periodos , connexiones & transitiones sit observandum ? Tandem de excessu styli & elocutionis an & quinam sint vitandi ?

EX LIBRO SEXTO.

DE Pronunciatione dicentes loquimur 1°. De prærequisitis ad fructuosam Pronunciationem scilicet de captandâ Auditorum benevolentiâ qualis ? Et quibus modis sit captandâ ? Et de Memoriâ , quid circà ejus defectum , necessitatem , & utilitatem ? An satius sit loqui ex solâ Memoriâ quàm ex cordis abundantiâ ? Et quomodo juvari possit & foveri ? 2°. De ipsâmet Pronunciatione nem è circà vocem quinam vitandi sint defectus vocis , sivè jucunditati , sivè auditioni attentionique oppositi ? Quænam ejus qualitates & variationes

in quinque potissimùm adhibendæ. Circà gestum vero tùm in genere quæ ejus sit necessitas, qualitates, & defectus in eo vitandi? Tùm in specie quid circa corporis situm, & gestum capitis, vultûs & oris, oculorum, & brachiorum manuumque sit observandum?

Ex Libro Septimo.

MONITA damus de motivis, materiâ, & modis imitationis. Circà motiva an Concionatori Candidato imitatio sit licita, necessaria, & an sufficiat ipsi vel non Lectio S. Scripturæ, SS. Patrum, & Profanorum Scriptorum? Circà materiam imitationis quinam inter Concionatores habendi sint optimi ad imitandum? An satius sit vel inter plures optimos unicum, vel plures optimos simùl imitari? An & quid tùm in priscis, tùm in recentioribus, sit imitandum? Circà modos tandem imitandi, quot modis fieri possit bona imitatio? Et quot modis mala? Quærentibus, quo meliori fieri modo poterit, explicare conabimur: sicque ex responsionibus nostris talem patebit esse Rhetoricam Sacram hanc nostram, ut si hanc liceret pro se loqui, non fortè sine causâ diceret, sermone ad Candidatos Concionatores converso: *Qui me invenerit inveniet vitam*, artem scilicet per varias Concionum species, animas ad vitam æternam perducendi. Prov. 8. v. 35.

FINIS.

INDEX TITULORUM.

LIBER PRIMUS.

QUÆSTIONES PROŒMIALES.

§. 2.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

LIBER QUARTUS.

LIBER QUINTUS.

LIBER SEXTUS.

LIBER SEPTIMUS.

FINIS.

APPROBATIONES
THEOLOGORUM ORDINIS.

EGO infrà ſcriptus, de Mandato Reverendiſſimi Patris Generalis, legi & attentè conſideravi Opus cui titulus eſt: *Tractatus de Rhetoricâ Sacrâ ad uſum Studentium, Candidatorumque Concionatorum Provinciæ Sabaudiæ accommodatâ*, à V. P. ANGELO-JOSEPHO à La Bâtie, Sacræ Theologiæ Lectore, Provinciæ Sabaudiæ Profeſſo compoſitum; in quo non ſolùm nihil eſt moribus contrarium, ſed omnia ità tractantur ut Concionatoribus Opus utillimum judicetur: quare typis mandari poſſe cenſeo. Datum in Conventu noſtro Confluentis, die 26. Octobris 1759.

Fr. DOROTHEUS *à Sallanchiis Capucinus,*
Sacræ Theologiæ Lector.

EGO infrà ſcriptus, de Mandato Reverendiſſimi Patris Generalis, legi Opus cui titulus: *Tractatus de Rhetoricâ Sacrâ ad uſum Studentium, Candidatorumque Concionatorum Provinciæ Sabaudiæ accomodatâ* à V. P. ANGELO-JOSEPHO à La Bâtie, Sacræ Theologiæ Lectore, Provinciæ Sabaudiæ Profeſſo compoſitum, in quo nihil quod Fidei Orthodoxæ & bonis moribus repugnet reperi: imò ars Eloquentiæ Divinæ ibi cum tantâ elegantiâ, puritate & ſoliditate traditur, ut nedùm Sacri Miniſterii Candidatis, verùm etiam Chriſtianorum orbi, illud utillimum fore exſtimem ſi prælo ſubjiciatur, & in lucem prodeat. Datum in Conventu noſtro Fori Claudii, die 25. Octobris, anno Domini 1759.

Fr. BERNARDUS *ab Annecio Capucinus,*
Philoſophiæ necnon Theologiæ Lector.

FACULTAS IMPRIMENDI

A REVERENDISSIMO PATRE GENERALI *Totius Ordinis conceſſa.*

NOS, FR. SERAPHINUS CAPRICOLLENSIS TOTIUS ORDINIS FF. MINORUM S. FRANCISCI CAPUCINORUM MINISTER GENERALIS [L. J.] Cùm Opus cui titulus : *Tractatus de Rhetoricâ Sacrâ ad uſum Studentium, Candidatorumque Concionatorum Provinciæ Sabaudiæ accommodatâ*, à Venerabili admodùm Patre ANGELO-JOSEPHO à La Bâtie, Sacræ Theologiæ Lectore, Provinciæ Sabaudiæ Profeſſo compoſitum, à duobus Theologis de Licentiâ noſtrâ reviſum, & approbatum fuerit; tenore præſentium facultatem elargimur ut, ſervatis de more & jure ſervandis, idem typis mandetur : in quorum Fidem Sigilloque noſtro ſolito has ſubſcripſimus. Datum Romæ, in Conventu noſtro Immaculatæ Conceptionis, die 24. menſis Novembris, anno 1759.

Fr. SERAPHINUS *qui ſuprà.*

V. F. ALEX, *Officialis Gen. Dec. Sabaudiæ.*

EGO infra ſcriptus Ord. Frat. Min. Reg. Obſerv. Sti. Franciſci Preſbiter, Sacræ Theol. Doctor, Publicus in Regio Cambérienſi Licæo Theologiæ Profeſſor & Regius Librorum Cenſor, vidi & ſummâ cum attentione examinavi & legi Opus manuſcriptum cui titulus : *Tractatus de Rhetoricâ Sacrâ* &c. in quo nihil Fide aut Moribus repugnans inveni : quin potius maximus in aucthore elucet ubique Religionis zelus ex quo ſumma in ſuos, nedùm, ſed & in alios redundare poteſt utilitas ſi prædictum Opus prælo ſubjiciatur ; in cujus rei fidem præſentibus ſubſcripſi Camberii, die ſecundâ Februarii, anno Domini 1760.

Fr. JAC. BONAV. RAMBERT, *Regius Cenſor.*

Permittitur Impreſſio. Camberii, die 4. menſis Februarii, 1760.

DEMOTZ, *pro Magnâ Cancellariâ.*

ERRATA.

Pagina 3. Linea. 4. minorum, *lege* minorem.
p. 7. l. 38. cffectum, *l.* effectum.
p. 8. l. 33. dispensantorem, *l.* dispensatorem.
p. 11. l. 17. dificiente. *l.* deficiente.
p. 12. l. 20. nomime *l.* nomine.
l. 25. illa *l.* illas.
p. 14. l. 23. duxi *l.* eduxi.
p. 15. l. 14. dimumerant *l.* dinumerant.
l. 31. dimiffis *l.* demiffis.
p. 16. l. 1. potèfacta l. patefacta.
l. 38. percuffioris *l.* percussoris.
p. 17. l. 27. voluptatemque *l.* voluptatumque.
p. 19. l. 29 statuimus *l.* destruimus.
p. 21. l. 29. fugite *l.* figite.
p. 22. l. 33. spiritus *l.* spiritu.
p. 28. l. 2. advertandum *l.* advertendum.
l. 18. præstrare *l.* præstare.
l. 30. in ordinatos *l.* inordinatos.
p. 29. l. 36. vocat *l.* vacat.
p. 30. l. 1. coustructione *l.* constructione.
l. 15. animadvertandum *l.* animadvertendum.
p. 36. l. 2. advertandum *l.* advertendum.
p. 37. l. 39. tidi *l.* tibi.
p. 40. l. 3. hujnsmodi *l.* hujusmodi
l. 21. puerili *l.* pueri.
l. 36. testem se de *l.* testem de
p. 41. l. 24. reprehendatur *l.* reprehendantur.
p. 42. l. 13. incombat *l.* incumbat.
p. 44. l. 13. anctoritate *l.* auctoritate.
p. 46. l: 36. nobis *l.* nolis.
p. 47. l. 35. puerilibus *l* puerilius.
p. 48. l. 21. adibendæ *l.* adhibendæ.
p. 50. l. 10. ratiociocinium *l.* ratiocinium.
l. 11. paragraphis *l.* quæstionibus.
l. 33. abistnendum *l.* abstinendum,
p. 56. l. 26. ipsis *l.* ipsi.
p. 52. l. 2. dommodò *l.* dummodò.
p. 61. l. 37. savatoris *l.* salvatoris.
p. 69. l. 11. scholastisque l. scholaticisque.
p. 79. l. 10. ichnographis *l.* ichnographiis.
p. 91. l, 7. congruant *l.* congerunt.
p. 95. l. 28. istum *l.* istud.
p. 114. l. 23. aggreditur *l.* aggredietur.
l. 39. inevitabilis *l.* propè inevitabilis.
p. 117. l. 27. prædlectionem *l.* prædilectionem.
p. 124. l. 25. accerrimæque *l.* acerrimæque.
p. 135. l. 6. insurrexerit *l.* insurrexeris.
p. 136. l. 3. informarionem *l.* informationem.
p. 139. l. 24. Cain *l.* Caïn.
l. 32. quia *l.* qui.
p. 141. l. 28. innatos *l.* innatas.
p. 144. l. 29. cfferendam *l.* aufferendam.
l. 30. syngræpham *l.* syngrapham.
l. 34. imensitas *l.* immensitas.
p. 145. l. 37. promùm *l.* primùm.
p. 149. l. 25. in terrendo *l.* terrendo.
l. 39. moveatur *l.* moveantur.
ibid. alliciatur *l.* alliciantur.
p. 151. l. 2. ardesunt *l.* ardebant.
p. 163. l. 33. tipi *l.* tibi.
p. 164. l. 16. ergo *l.* ergo sit.
l. 23. verbo seu *l.* verbo.
p. 116. l. 34. primarium *l.* primariam.
p. 167. l. 28. acerrationis *l.* aberrationis.
p. 168. l. 10. quosdam *l.* quasdam.
p. 170. l. 39. pleceant *l.* placeant.
p. 172. l. 22. quis *l.* qui.
p. 174. l. 28. tria *l.* tria sunt.
p. 175. l. 13. molestia *l.* molestiæ.
l. 28. corpori *l.* corporis.
p. 176. l. 4. transiones *l.* transitiones.
l. 26. fuerunt *l.* ferunt.
l. 32. reverra *l.* revera.
p. 178. l. 5. te *l.* me.
p. 183. l. 12. quæstio prima *l.* quæst. unica.
l. 21. art. secundus *l.* art. primus.
l. 24. audinet *l.* audient.
p. 184. l. 30. quæst. II. *l.* art. II.
p. 188. l. 27. audeo *l.* gaudeo.
p. 197. l. 14. vobis *l.* vocis.
p. 201. l. 32. requitur *l.* requiritur.
p. 221. l. 31. onptimos *l.* optimos.
p. 222. l. 7. eademque *l.* eamdemque.
l. 8. tantasse *l.* tentasse.
p. 225. l. 26. elapto *l.* elapso.
p. 228. l. 26. assumat *l.* assumat quisque.